DE

MERCATORIBUS

CAMERÆ APOSTOLICÆ

SÆCULO XIII

Thesim proponebat facultati litterarum Universitatis Parisiensis

E. JORDAN

Studio historiæ in Universitate Rhedonensi præpositus.

CONDATE RHEDONUM

APUD OBERTHUR, TYPOGRAPHUM

—

1909

DE

MERCATORIBUS CAMERÆ APOSTOLICÆ

SÆCULO XIII

DE

MERCATORIBUS

CAMERÆ APOSTOLICÆ

SÆCULO XIII

Thesim proponebat facultati litterarum Universitatis Parisiensis

E. JORDAN

Studio historiæ in Universitate Rhedonensi præpositus.

CONDATE RHEDONUM

APUD OBERTHUR, TYPOGRAPHUM

1909

INFRASCRIPTI LIBRI ET CODICES

INFRASCRIPTIS SIGLIS BREVITATIS CAUSA COMMEMORANTUR

P............. = Regesta pontificum Romanorum ed. Potthast.

BFW....... = Regesta Imperii, a Bœhmer collecta (nova editio curantibus Ficker et Winkelmann prolata).

Reg. Vat.. = Registra pontificum, hucusque inedita, in Tabulario Vaticano asservata.

Reg. Hon. III, *Greg. IX*, etc... = Registra pontificum qui sæculo XIII et sæculo XIV ineunte regnaverunt, curantibus tum Pressutti (Honorius III), tum monachis O. S. B. (Clemens V), tum Gallicæ in Urbæ Scholæ sociis, edita.

Reg. Ang. = Registra regum Andegavensium in Tabulario Neapolitano asservata.

K............. = Mittheilungen aus dem Vatikanischen Archiv, Band I (ed. Kaltenbrunner).

Ea, quæ ex libris post annum MDCCCXCVII editis hausi, [ ] inclusa adjunxi.

DE

MERCATORIBUS CAMERÆ APOSTOLICÆ

SÆCULO XIII

Neminem fugit, Italicos ceteris populis, Medio Aevo, in exercenda mercatura longe superiores exstitisse; a Florentinis, Senensibus, Lucanis, Pistoriensibus, Parmensibus, Placentinis, ab eis denique quos omnes communi Lombardorum nomine vulgus complecti soleret, celeberrimas institutas fuisse mercatorum societates; quæ cum emporia in locis diversissimis condidissent, suosque ibidem procuratores destinassent, commercii quoddam quasi monopolium ita usurparunt, ut cameralia regum principumve negotia gerenda plerumque assumerent. De omnibus, quæ ad Lombardorum pertinent societates, inquirere, proposito quidem nostro alienum est : tantæ enim moli suscipiendæ vires non sufficerent, nec utilitas ulla suadet ut eam suscipiamus, cum operibus jam nonnullis quasi in luce locata sit Lombardorum historia (1). His igitur finibus inquisitionem nostram circumscripsimus, ut inter societates Lombardorum de iis tantummodo ageremus, quæ cameræ apostolicæ inservientes durante sæculo XIII de summis pontificibus optime sint meritæ.

Summos enim pontifices non minus quam cæteros Europæ principes Italicorum mercatorum opera usos fuisse, documentis, jampridem editis, compluribus probatum est. Nonnulli nempe occurrunt, qui *mercatores* aut *campsores cameræ* aut *papæ* vocantur (2). Nec dubium, ut jam vv. cl. Fabre et Gottlob (3) agnoverunt, quin hiis vocibus certum quoddam munus indicetur. Martinus IV, in

(1) [Ut de reliquis taceamus, recentissimum tantum et præstantissimum commemoremus librum : Schaube, *Handelsgeschichte der Romanischen Völker des Mittelmeers bis zum Ende der Kreuzzüge.*]

(2) Pontifices, qui ante Clementem IV regnaverunt, *campsorum;* Clemens vero ac successores, *mercatorum* vocabulo plerumque usi sunt. Quæ verba idem significavisse videntur.

(3) Fabre, *Etude sur le Liber Censuum*, p. 167. — Gottlob, *Die pæpstlichen Kreuzzugssteuern des XIII Jahrhunderts*, p. 251.

epistola quam ad socios Bonaventuræ Bernardini mercatoris Senensis scripsit, Franketum Rimbertini mercatorem Florentinum commemorat « *cum quo insimul ipsius camere in hiis que ad mercatorum spectant officium negotia gerebatis* [1] ». Liber *Introïtuum et Exituum* Bonifacii VIII [2] sic incipit : « *Incipiunt recepta camere ipsius per manus mercatorum trium societatum, scilicet Mozorum et Spinorum de Florentia ac Clarentum de Pistorio, agentium in eadem camera officium mercatorum* ». Clemens V Bardorum, mercatorum Florentinorum, rationes audivit a tempore « *quo ad servitium predicte camere admissi et recepti fuistis* [3] ».

Quale autem fuerit mercatorum cameræ officium, quonam pacto a camera conduci solerent, tum quænam onera eis subeunda essent, rursusque quænam jura eis competerent, opus quidem hactenus, ut opinamur, intentatum [4], exponere conabimur.

(1) *Reg. Vat.* 42, fol. 29 v° (4 junii 1282).

(2) Quem Theiner partim publici juris fecit (*Codex Diplomaticus dominii temporalis Sanctæ Sedis*, n° 537).

(3) *Reg. Clem. V*, 1151.

(4) Cf. tamen quæ sub titulo : *Le Saint Siège et les banquiers italiens* in *Compte rendu du troisième Congrès scientifique international des catholiques* (1894) scripsi. [Libro, utili quidem, quem v. cl. Schneider conscripsit, titulum præ se ferentem : « *Die finanziellen Beziehungen der florentinischen Bankiers zur Kirche von 1285 bis 1304*, » hoc inest vitium, quod tum mercatores cameræ a ceteris mercatoribus qui aliquid rationis cum curia romana habuerunt, tum pecuniam cameralem a pecunia decimali, non, ut debuisset, distinxit. Idem dicendum de Arias, *Studi e documenti di storia del diritto ; i banchieri Italiani e la S. Sede nel secolo XIII ; linee della storia esterna*. Duos fuisse ordines mercatorum cameræ, « præcipuorum » scilicet et ordinariorum ; illum etiam titulum vanum, ut ita dicam, fuisse et mero honori datum, perperam, ut videtur, opinatur Schneider.]

I

De iis, qui Mercaturam Cameræ pro tempore gesserunt.

Primum autem, quod fuerit mercaturæ cameræ initium, qui mercatores cameræ pro tempore fuerint, exquirendum.

Sæculo XII exeunte, in *ordine Romano XII* a Cencio camerario confecto et a Mabillon edito, inter officiales curiæ apostolicæ nominatur « *cambiator* (1) » sive campsor, cui procul dubio ea erat commissa provincia, ut nummos diversi generis undecunque ad cameram affluentes permutaret. Num tamen jam tum officium cambiatoris mercatores exercuerint, non liquet.

Jam, Honorii III tempore, illi quibus pecunia cameræ solvenda esset interdum mercatoribus utebantur. Die 1 martii 1219, Sinibaldus, papæ camerarius (idem qui postea Innocentius IV), testatus est « *Areingerium filium Foresi mercatoris Florentini* » sibi « *ad opus camere domini pape sexaginta libras prov. Sen.* » pro censu castrorum Carpi et Montis Baranzonis persolvisse, ex parte communis Mutinæ (2). Officiales etiam, quibus a pontifice cameralia negotia gerenda committebantur, mercatores nonnunquam adhibebant. Honorius III episcopo Senensi mandavit, ut « *cum dilectus filius magister Egidius subdiaconus et capellanus noster mercatoribus Senensibus quamdam* » concessisset « *pecunie quantitatem ad certos terminos nostre camere persolvendam* », ipsam pecuniam reciperet et conservaret (3).

Primus tamen mercator, qui titulo campsoris cameræ fuerit insignitus, Gregorio IX regnante occurrit Bobo Johannis Bobonis. Nam die 2 aprilis 1232 (4), Johannes de Columna, tituli Sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, confessus est se recepisse a « *Caponigro Provenzano mercatore Senensi, socio Bobonis Johannis Bobonis camsoris domini pape, solvente vice et nomine domni Gregorii pape noni* », 70 marcas sterlingorum, 20 uncias auri et 220 libras prov.

(1) Mabillon, *Musæum Italicum*, II, 200; Cf. Gottlob, *Die pæpstlichen Kreuzzugssteuern*, etc., p. 251.

(2) Levi, *Documenti ad illustrazione del Registro del cardinale Ugolino d'Ostia*, in *Archivio della Società Romana di storia patria*, 1889, 312.

(3) Die 2 aug. 1221; Levi, *Registri dei cardinali Ugolino d'Ostia e Ottaviano degli Ubaldini*, p. 152.

(4) Muratori, *Antiquitates*, II, 807. Cf. *ibid.* 803 alteram quietantiam anno 1232 ab eodem cardinali eidem Caponigro concessam.

Sen. et 8 1/4 uncias boni auri pulveris ad pondus Romanum (1).

Die autem 26 martii 1233, Gregorius IX Angelerio Solaficu Senensi, campsori suo, et sociis apocham concessit « *de omnibus rationibus quas in Anglia, Francia, Curia Romana, vel etiam alibi, nostro vel Ecclesie Romane nomine receperunt, et de expensis ab eis factis ac de solutis que fuerunt hinc inde solvenda* (2) ». Recepta hujusmodi apocha, ab obsequiis Gregorii Angelerius tamen non recessit. Exstat enim adhuc Senis, in via dicta *del Re*, n° 5, palatium hanc inscriptionem gerens : *Hanc domum cepit hedificare Angelerius Solafiche quando erat campsor domini pape Gregorii VIIII anno Domini MCCXXXIIII*. Et die 16 januarii 1235, papa abbati Sancti Luciani Belvacensis mandavit, ut Trajectensem electum compelleret, ut quam pecuniam prædecessor Angelerio Solaficu, campsori papæ, Jacobo Petri, Gaufrido Alifonsi, Frederico Rollandi et sociis, mercatoribus Senensibus, deberet, persolveret (3).

Utrum autem Angelerius Solaficu Boboni Johannis Bobonis in officio campsoris successerit, an ambo insimul officium gesserint, vel ejusdem societatis fuerint socii, nescire me fateor.

[Utcumque res se habeat, Bobo Johannis anno 1238 iterum ut *campsor domini pape* occurrit; una cum Marcello Hugolini, Ristoro Jacobi, Raynerio Salimbene, Uberto Bonaventure, Paulo Johannis et Bartholomeo Anazulo Romanis et Senensibus mercatoribus 350 marchas sterlingorum capitulo Coloniensi mutuas dederat (4).]

Regnante Innocentio IV, Bonifacius de Senis campsor erat papalis (5) ; nec dubium, quin is Bonifacius idem sit ac Bonifacius Bonsignoris (6), quem papa una cum fratre Orlando inter fami-

(1) [Bobonem Johannis Bobonis Romanum fuisse, et quidem illius Johannis Bobonis filium, qui regnantibus Innocentio III ac Honorio III nonnulla cameralia negotia gesserat, asserit Gottlob in *Zur Gesellschaftsliste der Buonsignori* (*Hist. Jahrbuch*, 1901, p. 715); recte quidem, ut videtur. Romanus ergo mercator cum Senensibus societatem inierat, licet ex diversis civitatibus oriundi; quod postea perraro accidit.]

(2) P. 9132.

(3) *Reg. Greg. IX*, 2391. — De Angelerio cf. etiam Bond, *Extracts from the Liberate Rolls relative to loans supplied by Italian merchants to the Kings of England in the 13th and 14th centuries*, in *Archæologia*, XXVIII, anno 1840, p. 276 (Rex Angliæ liberari jubet Angelerio Solaficiis et sociis suis 400 marcas « *quas commodaverunt magistro Roberto de Sumercot ad negotia nostra in curia Romana expedienda.* » (8 nov. 1236) [ac Gottlob, *loc. cit.*, 716-717 et Patetta, *Caorsini Senesi in Inghilterra*, in *Bullettino Senese di storia patria*, 1897, p. 321.]

(4) [Schulte, *Geschichte des mittelalterlichen Handels u. Verkehrs zwischen Westdeutschland u. Italien*, II, p. 287.]

(5) *Reg. Inn. IV*, 6777 (7 sept. 1252).

(6) [De Bonsignorum societate disseruit Gottlob, *Zur Gesellschaftsliste der Buonsignori von Siena*, in *Hist. Jahrbuch*, 1901, p. 710; optime quidem, quoad

liares habuit [1], et una cum sociis in gerendis negotiis adhibuit. Nam die 25 augusti 1251, archiepiscopo Lugdunensi et electo Bisuntino scripsit papa, ut interdicti sententiam in Ponsardum de Duno renuntiarent, qui Hugolinum Belmontis, Orlandum Bartholomæi, Theobaldum Thebalducii et Raynerium Titii, mercatores Senenses, « *quos pro Ecclesie negotiis mittebamus* », cepisset et « *in offensam Sedis Apostolice* » captivos custodiret. Hugolinus autem Belmontis ac Orlandus Bartholomæi socii erant Bonifacii et Orlandi Bonsignoris [2]. Bonifacium plurimum auctoritatis apud papam habuisse, testantur libri *Consilii Generalis Campanæ* in tabulario Senensi asservati. Die 8 junii 1251, consilium et commune Senensium legatis quos ad curiam apostolicam mittebant injunxerunt, ut Bonifacium suorum consiliorum omnium participem haberent, et una cum eo exquirerent quisnam « *defensor et adjutator* » communis Senensis apud papam potissimum eligendus esset [3]. Eodem anno Senenses Bonifacium sciscitati sunt, quid esset papæ de sede collocanda consilium [4]. Anno 1253, pecunia Bonifatio Perusium mittebatur, « *pro solvendis militibus quos conducet in servitium communis* [5] ». Bonifacio igitur, qui apud curiam continuo commorabatur, suo tanquam procuratore uti solebant Senenses.

Alexandro IV summo pontifice, tres mercatorum societates vel insimul, vel uni ab altera traditum, nomen campsorum papalium gesserunt; scilicet Senenses Rinaldus Tolomei et Petrus Scotti Dominici [6] ; — Rollandus Bonsignoris et Bonaventura Bernardini [7] ; — ac Florentini Jacobus de Scala, Petrus Benincase et Dinus Perini [8]. Petrus Scotti anno 1258 familiaris papæ dicitur [9].

prima societatis tempora, usque ad Clementem IV; hoc excepto, quod Bonsignores ab Alexandri IV familiaritate remotos fuisse, perperam asserit (cf. infra). Ostendit, aliquos ex sociis Angelerii Solaficu inter socios Bonsignorum postea occurrere; ex quo suspicari licet, hanc societatem ex illa originem traxisse. Errat tamen, ut infra ostendetur, com putat Bonsignores a Clementis IV temporibus usque ad Honorii IV pontificatum a negotiis cameræ gerendis recessisse.]

(1) Cf. Berger, *Saint Louis et Innocent IV*, p. 113; et Rodenberg, *Epistolæ sæc. XIII e registris pontificum Romanorum selectæ*, III, 191 (cf. BFW. 8573).

(2) Berger, *loc. cit.* De Thebaldo Thebalducii cf. P. 14537. — Prædicti mercatores, jubente Blanca regina Franciæ, a carcere liberati sunt; ut tamen bona eis ablata restituerentur, apud Carolum Provinciæ comitem precibus institit Innocentius (BFW. 8572).

(3) *Consigl. Gen.* III, fol. 8 v°.

(4) *Ibid.*, fol. 61 (16 oct. 1251).

(5) *Lettere volgari del secolo XIII scritte da Senesi*, p. 154.

(6) P. 16051 (12 oct. 1255).

(7) Blancard, *Documents inédits sur le commerce de Marseille au M. A.*, II, 401-402, 15 avril et 5 mai 1260.

(8) *Reg. Vat.* 27, fol. 29 v° (die 20 martii 1261).

(9) P. 17290.

Socii Petri Scotti et Rinaldi Tolomei erant : Gregorius Bernardini, Lotteringus Corradi, Jacobus Raynaldi, Christoforus Tolomei et Raynucius (seu Raynerius) Vallestricte, Aldebrandinus Tholomei, Petrus Christophori, Raynucius Johannis, Bonuncuntrus Scotti Dominici, Jacobus Romei, Rubeus Consilii, Raynerius Citadini, Paulus Albertini, Jacobus Balioni, Ventura Martini, Bonrestorus Scotti, Jacobus Ugolini, Bonagratia Ardimanni, Bencivenne Consilii [1]. Quos autem (præter Petrum Benincasæ et Dinum Perini) socios habuerit Jacobus de Scala, parum constat. Nominantur tantum, in instrumento absolutionis [2] quam anno 1263 mercatores societatis de Scala impetraverunt a sententiis contra Manfredi sequaces latis : Cavalcante « qui dicitur Cantus », Spina et Tegla fratres, filii Jacobi de Scala, Maynectus Spinæ, Diritta Cambii, Aymerius Cosæ, Lapus filius Aymerii Cosæ, Petrus Benincasæ, Hugo Spinæ, Jacobus Lecca, Thomas Spiliati, Lotterius Benincasæ, Campana Francisci, Tegla filius domini Amatoris, Ruccus seu Rusticellus Cambii, et Raynerius Abbatis. Adjungendi, regnante Alexandro, Jacobus Davenzani et Gerardus Riccobaldi [3], necnon et Rustichellus Thedaldi, Girardinus Belioti, Franciscus Spina de Scala, Jacobus Aymerii [4]. An vero eidem societati sint annumerandi Jacobus Giberti et Raynerius Berindotis (seu Bellindotis), Florentini, qui Alexandro pontifice « *pecuniam Ecclesiæ Romanæ in diversis mundi partibus* » receperant [5], dubium est. Sane Jacobus Giberti anno 1249 socius erat Jacobi de Scala [6] ; et anno 1256 Raynerius Berindotis socius erat Thomæ Spiliati [7], qui alibi inter socios Jacobi de Scala nominatur [8]. Attendendum e contra, quod Raynerius Berindotis una cum Carlino Giberti anno

(1) Nomina ex P. 16051, P. 16431, P. 17134, P. 17290, et *Reg. Vat.* 27, fol. 9 v° collegi. — Animadvertendum quod in P. 16431 (*Matth. Paris*, ed. Luard, V, 581), nomina mercatorum plurimum sunt corrupta : *Reinaldum*, *Reinerum*, *perinde Scotti et Christofori Colom.* Ultima verba legenda videntur : *Petrum Scotti et Cristoforum Tolomei.* Reinaldum et Raynerium iidem fuerunt ac Raynaldum Tolomei et Raynerium Vallestricte. — Raynaldum et Tholomeum Jacobi, quos Alexander die 29 apr. 1255 campsores suos vocat (*Reg. Alex.* IV, 453), ex similitudine nominum eorumdem mercatorum cognatos fuisse ac socios arbitror.

(2) Tab. Vatic. *Instrumenta Miscellanea*, caps. 1250-1275. — Cf. 18705.

(3) Bond, *loc. cit.*, p. 268 (3 nov. 1258 et 13 maii 1259), ubi pro *Berardo Riccobaldi Gerardo* legendum censeo.

(4) Hi una cum pluribus ex suprascriptis occurrunt in instrumento anno 1261 mense decembri confecto (*Bibl. de l'Ecole des Chartes*, 1879, p. 509).

(5) *Reg. Clem. IV*, 761. — Cf. *Reg. Vat.* 27, fol. 17 (7 maii 1262); P. 18432 (30 nov. 1262); *Reg. Vat.* 27, fol. 145 (9 dec. 1263).

(6) Cf. P. 13875 (7 dec. 1249), ubi plures etiam alii nominantur socii Jacobi de Scala, qui nusquam postea occurrunt.

(7) P. 16416.

(8) P. 13875, et supra.

1252 in societate « filii Falconerii Florentini » fuisse videtur [1] ; et quod Urbanus IV, ut infra ostendemus, diversas et modo et temporibus, tum cum societate de Scala, tum cum Jacobo Giberti et Raynerio, rationes contulit. Huc accedit, quod nullus mercatorum, qui in epistola Urbani IV die 30 novembris 1262 data socii eorumdem Jacobi et Raynerii dicuntur [2], in eo repperitur sociorum Jacobi de Scala catalogo, anno 1263 confecto, quem supra exhibuimus. Ergo verosimilius videtur Jacobum et Raynerium, ultimis saltem Alexandri temporibus, diversam a Jacobo de Scala instituisse societatem; quam a pontifice in cameralibus gerendis negotiis adhibitam fuisse constat. Nec mirum ; cum, ut infra patebit, persæpe contigerit ut mercatorum societates dividerentur.

Rimbertini quoque Florentini in epistolis Alexandri occurrunt; qui anno 1258 [3] Mainettum, Jacobum et Franciscum Rimbertini [4], Philippum Rodulphi, Gerardum Riccobaldi, Feum Bonfiglioli, familiares appellebat. Idem priori Candidæ Casæ in Scotia mandavit, ut certam summam pecuniæ Philippo Rodulphi et Matthæo Bonfiglioli, sociis Mainetti Rimbertini, pro camera recipientibus, traderet [5]. Cum Gerardus Riccobaldi eodem ferme tempore ut socius tum Jacobi de Scala, tum Rimbertinorum occurrat [6], et, ut infra ostendemus, sociis cujuscumque societatis plerumque non liceret, ut seorsum negotia gererent; cum etiam Aymerius Cosæ (quem supra inter Scalos fuisse monstravimus) et Maynettus Rimbertini anno 1245 una negotiarentur [7]; facile conjici posset, Rimbertinos et Scalos speciali quodam pacto conjunctos fuisse, vel etiam, saltem usque ad Alexandri IV tempora, unam tantummodo societatem constituisse. E contra tamen animadvertendum, quod Italicorum mercatorum (eorum sane, qui in societatibus secundas, ut ita dicam, partes agerent) mos erat, ut facillime, exspiratis conventionibus, quæ plerumque ad breve tempus contrahebantur, de alia societate ad aliam transirent [8] (quod

(1) *Reg. Alex. IV*, 1139.

(2) Scilicet Augutius et Carlinus Giberti, Aldebrandus et Lapus Brunetti, Lottus et Cante Tedaldini, Bonaventura et Saluntius Bellindoti, Calcanus Bonaccursi, Aczutius Jacobini, Jacobus Bonefidei (P. 18432). — Die 7 dec. 1249 Agutius Giberti una cum Jacobo socius erat Jacobi de Scala (P. 13875).

(3) P. 17425.

(4) Alias Lambertini.

(5) *Reg. Vat.* 27, fol. 32 v°.

(6) Cf. supra.

(7) Cf. Bond, *loc. cit.*, p. 264 (ubi Maynetto Rimbertini pro Maynetto Robertini legendum puto).

(8) Exempli gratia hæc pauca referre juvat de curriculo vitæ quod de se ipso conscripsit Guido dell'Antella (*Archivio storico Italiano*, Iª serie, IV, p. 5) : « ...*Ne l'anno MCCLXVII andai a Gienova per la compagnia di Lamberto dell'Antella*

societatum historiam persequenti non parum difficultatis et confusionis affert). Hoc unum constat, Rimbertinos ab Urbani IV tempore negotia seorsum gessisse [1]. De iis infra rursus loquemur.

Alius quoque mercator ab Alexandro IV inter familiares habitus et in negotiis adhibitus fuit : scilicet Lucas quidam civis Anagninus, qui, ut Clementis IV verba [2] usurpem, « *Alexandri pape predecessoris nostri olim apud sedem apostolicam insistens obsequiis, multa de bonis predecessoris ejusdem* » receperat; de quibus ut cameræ apostolicæ redderet rationem ab Urbano IV et Clemente IV fuit admonitus. Num tamen Lucas ille titulo mercatorum cameræ fuerit insignitus, non liquet.

Urbanus IV anno 1261 in papam electus, ut in politicis rebus sui prædecessoris vestigiis minime incessit, regnum Siciliæ Carolo Andegavensi comiti loco Edmundi Angliæ regis filii obtulit, jura et possessiones Ecclesiæ vel conscio Alexandro occupata vel ab ipso Alexandro alienata recuperavit; ita et in iis quæ ad cameram spectabant multa immutavit. In primo pontificatus initio omnibus cameralium proventuum collectoribus mandavit ut ad curiam venirent reddituri rationem [3] ; nec ei quidquam magis cordi fuit, quam ut mercatorum quoque qui prædecessoris negotia gessissent rationes diligenter audiret. Haud parvæ difficultatis res erat. In metrica vita Urbani legimus pontificem cum creditoribus Romanis, Florentinis ac Senensibus litigasse :

Nam per pontifices summos onerata [*scil. Ecclesia*] *priores,*
Expendit multa, jura tuendo sua
Unde petebantur marcharum solvere centum
Cum quinquaginta millia forte magis,

e dimorávi diciotto mesi. Ne l'anno MCCLXX andai a Vinegia per la compagnia di Rinuccio Cittadini, e dimoravi due anni. Ne l'anno MCCLXXIII andai a Ravenna a dimorare chon mio padre per prestare... Ne l'anno MCCLXXV andai a dimorare chon Lamberto dell'Antella, et chon lui dimorai cinque anni... Ne l'anno MCCLXXVIII andai a dimorare con la compagnia de li Scali, et chon loro stetti dodici anni... Ne l'anno MCCLXXXX del mese di gennaio parti da li Scali... Ne l'anno MCCLXXXI andai a dimorare cho' Franzesi... Ne l'anno MCCLXXXIIII di marzo parti da' Franzesi... Ne l'anno MCCLXXXXVIII andai a dimorare chon Giovanni de' Cierchi e compagni... »

(1) Nullus enim Rimbertinorum in catalogo societatis de Scala anni 1263 nominatur. In epistolis Urbani societas Maynetti, Jacobi et Francisci Rimbertini nonnunquam occurrit; inter socios ejus erant Raynaldus Uberti, Cancius Symonecti, Guelfus Raynaldi, Bucca Ammannati, Bonvicinus Nicolai, Franketus Rimbertini (is certo a Francisco distinguendus, quamquam nomina sint simillima), Thomas Jacobi dictus Mase (Cf. *Reg. Vat.* 27, fol. 44, et P. 18574).

(2) In bulla die 1º maii 1267 data et in Tabulario Anagnini capituli asservata. — In epistola Urbani IV (*Reg. Vat.* 27, fol. 149), Lucas Alexandri IV familiaris dicitur.

(3) Fabre, *Etude sur le Liber Censuum*, p. 166.

Cur mercatores Romani, sive Senenses
Et Florentini debita tanta petunt.
Conjiciens igitur prefatus papa, quod ultra
Sortem legitimam plura darentur eis,
Consuluit super his prudentes, veraque solvit
Debita, dans cuique quod sibi jura darent (1).

Inter quos Rinaldus Tolomei et Petrus Scotti Dominici multam pecuniam Alexandro IV commodaverant; quosdam autem cameræ apostolicæ proventus in Anglia receperant; quos restituere noluerunt (2), asserentes receptam a se cameræ nomine pecuniam ea quam a se camera eadem mutuam sumpsisset longe inferiorem esse. Insuper Alexander quædam subsidia pecuniaria pro Romana Ecclesia a quibusdam locis religiosis regni Angliæ colligenda mandaverat et eisdem Petro Scotti ac sociis assignanda. Hoc mandatum postmodum papa revocavit (3) ; sed priores litteræ apostolicæ penes Petrum Scotti remanserant, qui eas Urbano quarto restituere recusabat. Die 6 octobris 1262, pontifex consilio et communi Senensibus mandavit, ut rebelles concives ad satisfaciendum Ecclesiæ compellerent (4). Utrum Senenses jussis apostolicis paruerint, non liquet; constat tamen Petrum Scotti et socios minime cum pontifice in gratiam rediisse ; non reperiuntur enim inter mercatores Senenses quos die 5 januarii 1263, Urbanus absolvit a sententiis generalibus latis contra eos qui Manfredum secuti erant (5); et civitati Senensi quæ in Tuscia partes ghibellinas amplexa erat, ut milites conduceret, pecuniam mutuam dederunt (6).

Magnæ quoque inter cameram, et Jacobum Giberti ac Raynerium Berindotis, exortæ sunt dissensiones. Cum enim, ut Urbani IV verba usurpemus, « *Jacobus Giberti, Raynerius Bellindotis et eorum socii...... essent camere apostolice in non modica summa pecunie obligati, venerabilis frater noster P. Burdegalensis archiepiscopus, tunc camerarius noster, eumdem Jacobum, qui sociorum suorum gerebat negotia apud sedem apostolicam, requisivit,*

(1) Valliscolor, *Vita Urbani*, apud Muratorium, *Rerum Italicarum Scriptores*, III, P. II, p. 409.

(2) Die 31 maii 1262, papa episcopo Senensi scripsit, ut Raynaldum et Petrum prædictos admoneret, ut infra quindecim dies cum libris rationum apostolico se conspectui præsentarent (*Reg. Vat.* 27, fol. 8 v°). — Mandatum die 4 aug. 1262 iteravit (*ibid.*, fol. 9 v°). — Die 19 sept. 1262 (*ibid.*, fol. 35 v°), Leonardo cantori Messanensi in Anglia nuntio injunxit, ut nomine cameræ apostolicæ pecuniam Petro Scotti debitam exigeret.

(3) P. 16051.

(4) *Reg. Urb. IV*, 144 (ex quo constat, unum ex Petri Scotti sociis, Petrum Tholomei, propriam cum camera apostolica fecisse compositionem.

(5) *Reg. Urb. IV*, 175.

(6) Tab. Senense, *Pergamene delle Riformagioni*, 23 februarii 1263.

ut sibi hujusmodi pecuniam solveret, et de alia pecunia Ecclesie Romane, quam ipse ac predicti socii receperant in diversis mundi partibus, redderet rationem. Sed licet idem Jacobus cum dicto archiepiscopo computarit; ipse tamen inde satisfactionem nostre camere non impendit, propter quod dictus archiepiscopus in ipsum et socios ejus auctoritate nostra duxit excommunicationis sententiam promulgandam [1] ». Inhibuit insuper papa, ne eorum debitores eis de debitis satisfacerent [2]. Absolutionem tamen et revocationem inhibitionis hujusmodi, ad mandata apostolica redeuntes [3], mox impetrarunt [4]; nichilominus a servitio cameræ cesserunt [5].

Nec cum societate Jacobi de Scala rationes facilius confectæ. Die quidem 30 novembris 1261, Urbanus Cantum de Scala et Thomam Spiliati, dictæ societatis socios, de omni pecunia quietavit, quam summi pontificatus officium nondum adeptus Alexander IV apud eos deposuerat [6]. Attamen cum controversiæ exortæ essent de iis negotiis quæ Alexandro regnante peracta fuerant, Urbanus regi Navarræ injunxit, ut eorumdem mercatorum bona caperet et custodiret. Quod quidem mandatum jam peractum die 1° februarii 1263 revocavit [7]; sic inter societatem de Scala et cameram constat jam tum restitutam esse concordiam. Nusquam tamen Jacobus de Scala et socii ejus, utpote qui mercaturam cameræ exercuissent, Urbani IV regestis commemorantur. — Lucam denique Anagninum rationes, quas Urbanus petiverat, anno 1267 nondum reddidisse jam ostendimus [8].

His igitur omnibus dimissis, Urbanus IV mercaturam cameræ illi soli Senensi societati [9] commisit, cui tunc temporis præfecti

(1) P. 18432.

(2) Cf. in *Reg. Vat.* 27, fol. 17, epistolas die 7 maii 1262 Armachano et Tuamensi archiepiscopis, ac Westmonasterii, Sancti Andreæ de Castello, Cameracensis diocesis, et Lissiensi monasteriis directas; ac in Rodenberg, *Epistolæ Sæc. XIII*, III, p. 476, n. 9, litteras ad Herbipolensem episcopum.

(3) Die 6 junii 1262 (Rodenberg, *loc. cit.*), Urbanus eis securitatem concessit ut ad cameram venirent posituri rationem.

(4) Cf. P. 18432 (3 nov. 1262) ad archiepiscopum Armachanum; — *Reg. Vat.* 27, fol. 145 (9 dec. 1263) ad archiepiscopum Tuamensem; — *Reg. Clem. IV*, 761.

(5) Hoc patet ex epistola supra memorata ad archiepiscopum Tuamensem, qua ei injungitur, ut Jacobo et Raynerio quam ipsis debeat pecuniam persolvat, non eam tamen quæ cameræ debeatur. — Cf. quoque *Reg. Clem. IV*, 761. — Anno 1263 rursus cum camera litigabant de pecunia quam ab Alfonso rege Castellæ ideo impensam ut cameræ assignaretur, retinere volebant in solutionem debitorum quibus ipsi regis creditores essent (*Reg. Vat.* 27, fol. 142 v°).

(6) *Reg. Vat.* 27, fol. 5.

(7) *Ibid.*, fol. 55.

(8) Epistola Clementis die 1° maii data (in Tab. Capituli Anagnini).

(9) [Indicem sociorum quorum nomina ante annum 1268 occurrunt, a Gottlob exaratum, usque ad collapsum societatis persequi conati sumus.]

erant Orlandus Bonsignoris [1], Bonaventura Bernardini et Franciscus Guidi. In coævis documentis, aut trium illorum sociorum qui partes præcipuas agerent, aut tantummodo unius vel duorum nomina societas illa tituli more præfert. Defunctis autem Orlando Bonsignoris [2] et Francisco Guidi [3], societas tum *filiorum Orlandi Bonsignoris*, tum *Bonsignorum*, tum *Bonaventuræ Bernardini* dicebatur. Sæculo XIII exeunte, sæpissime *Major Tabula Senensis* appellatur [4]. Maxime inter annos 1260-1285 floruit ; nulla Italicorum mercatorum societate tunc inferior ; de ejus collapsu et ruina infra disseremus.

Hæc nomina mercatorum, qui diversis temporibus societatis illius fuerunt participes, repperi. In notis subjunxi, quo tempore tum primum, tum ultimo in documentis occurrant.

Bonifacius Bonsignoris [5], Orlandus Bonsignoris [6] ; Bramanzonus Bonincontri et Nicolaus Ardingii, Bonifacii Bonsignoris nepos [7] ; Hugolinus Belmontis [8] ; Orlandus Bartholomæi de Malavoltis [9] ; Tebaldus Tebalducii [10] ; Raynerius Titii [11] ; Fredericus Rolland et Bonaventura Lupelli [12] ; Bartholomæus Christophori [13] ; Albizus Deutesiuti [14] ; Bernardus Prosperini [15] ; Aldebrandus Aldebrandini [16] ; Raynerius Bonaccursi [17] ; Bonaventura Bernardini [18] ; Franciscus Guidi [19] ; Andreas Jacobi [20] ; Fatius

(1) Bonifacius, Orlandi frater (cf. supra, p. 10) post Innocentii IV tempora nusquam occurrit.

(2) Orlandus die 31 martii 1272 adhuc vivus erat (P. 20524); die 22 januarii 1273 in documento Senis (*Arch. Generale*) asservato *quondam Orlandus* dicitur.

(3) Is post diem 22 januarii 1273 (*ibid.*) nusquam, quod sciam, occurrit.

(4) Hic nomen primum anno 1288 occurrit : Gottlob, *Zur Gesellschaftsliste*, ...725, n. 6.

(5) 1247 (Bibl. Nat. *Lat.* 17133, nº 7-8).

(6) Anno 1247 (Bibl. Nat. *Lat.* 17133, nº 7-8). — De ejus obitu cf. supra.

(7) *Ibid.*

(8) 25 aug. 1251 (cf. supra).

(9) 25 aug. 1251 (cf. supra). — 22 jan. 1273 (Tab. Senense, *Archivio Generale*), ubi cognomen *de Malavoltis* legitur.

(10) 25 aug. 1251 (cf. supra); — 23 martii 1252 (P. 14537).

(11) 25 aug. 1251 (cf. supra).

(12) 23 martii 1252 (P. 14537).

(13) 18 julii 1253 (Rodenberg, *Epistolæ Sæc. XIII*, III, 191).

(14) 5 feb. 1254 (P. 15264).

(15) 9 sept. 1254 (P. 15512). — Jam 5 nov. 1253, Bernardus socius Aldebrandi Aldebrandini dicitur, qui 6 martii 1255 socius erat Bonsignorum (Bond, *loc. cit.*, 266 et 267).

(16) 6 martii 1255 (*ibid.*); — 6 nov. 1265 (*Reg. Clem. IV*, 756).

(17) 13 junii 1256 (P. 16416); 26 aug. 1263 (P. 18631).

(18) 13 febr. 1253 (*Reg. Inn. IV*, 6381); — 21 aug. 1288 (*Reg. Nic. IV*, 7109).

(19) 13 dec. 1261 (*Reg. Vat.* 27, fol. 10); — 22 januarii 1273 (Tab. Senense, *Archivio Generale*).

(20) 26 sept. 1261 (*Reg. Vat.* 27, fol. 3); — 22 januarii 1273 (Tab. Sen., *ibid.*).

Junctæ [1]; Bonsignore Rayneri [2]; Deutaviva Guidi [3]; Raynerius Jacobi [4]; Bartholomæus Bramanzonis [5]; Jacobus Gregorii [6]; Bonifacius Junctæ [7]; Mannus Ildebrandini [8]; Vivolus Salvanelli [9]; Ventura Cambii [10]; Ventura Benedicti [11]; Tholomeus Manentis [12]; Jacobus Gilii seu Egidii [13], Bartholomæus Guidi [14], Fatius Berignonis [15], Hugo Jacobi [16]; Blandus Aldebrandi et Bindus Aldebrandi [17]; Lottus Hugolini [18]; Paltonus seu Pultronus Deutesalvi [19]; Gascus Trapillicini [20]; Gregorius Rigoli, Bindus Falconis, Bonfilius Contadini, Incontratus Philippi, Jacobus Skermi, Conradus Jacobi, Bettus Ferrantis, Tholomeus Jacobi, Thomas Viviani, Leonardus Jannis, Fatius Ranerii, Pacchina Ranerii, Meus Monaldetti [21]; Gregorius Peruti [22]; Restaurus Junctæ [23]; Paltonus Frederici [24]; Jacobus Aldebrandini [25]; Gregorius Gonnelle [26]; Bartholomæus Henrici [27]; Guido Junctæ [28]; Bencivenne Johannis [29]; Fatius filius Orlandi Bonsignoris [30];

(1) 11 jan. 1253 (*Reg. Inn. IV*, 6264); — 30 maii 1266 (*Reg. Clem. IV*, 779).
(2) 26 sept. 1261 (*Reg. Vat.* 27, fol. 3); — 23 maii 1266 (*Reg. Clem. IV*, 761).
(3) 21 oct. 1261 (P. 18141); 28 febr. 1265 (P. 19040).
(4) 21 oct. 1261 (P. 18141); — 1298 (Tab. Senense, *Cons. Generale*, LIV, 45).
(5) 9 dec. 1261 (*Reg. Vat.* 27, fol. 4); — 23 julii 1283 (*Reg. Vat.* 42, fol. 54 v°).
(6) 14 martii 1262 (*Reg. Vat.* 27, fol. 8 v°); — 11 oct. 1266 (*Reg. Clem. IV*, 794).
(7) 26 januarii 1262 (*Reg. Vat.* 27, fol. 15).
(8) 7 maii 1262 (*Reg. Vat.* 27, fol. 17); — 23 maii 1266 (*Reg. Clem. IV*, 761).
(9) 30 oct. 1262 (*Reg. Vat.* 27, fol. 27 v°); — 28 febr. 1265 (P. 19040).
(10) 30 oct. 1262 (*Reg. Vat.* 27, fol. 27 v°).
(11) 11 nov. 1262 (*ibid.*, fol. 49); — 14 maii 1264 (*ibid.*, fol. 123 v°).
(12) 5 julii 1263 (*ibid.*, fol. 39); — 1298 (Tab. Sen. *Cons. Gen.*, LIV, 45).
(13) 29 aug. 1263 (*Reg. Vat.* 27, fol. 37); — 4 nov. 1265 (*Reg. Clem. IV*, 753).
(14) 27 sept. 1263 (*Reg. Vat.* 27, fol. 140).
(15) 28 febr. 1265 (P. 19040); — 1298 (Tab. Sen., *loc. cit.*).
(16) 28 febr. 1265 (*ibid.*); — 30 julii 1267 (*Reg. Clem. IV*, 804).
(17) 28 febr. 1265 (*ibid.*); — 1298 (Tab. Sen., *loc. cit.* occurrit Bandus Aldebrandi, quem eumdem ac Bindum, vel Blandum, fuisse conjicio.
(18) 28 febr. 1265 (*ibid.*); — 28 febr. 1267 (*Reg. Clem. IV*, 798).
(19) 28 febr. 1265 (*ibid.*); — 6 nov. 1265 (*Reg. Clem. IV*, 756).
(20) 28 febr. 1265 (*ibid.*); — 30 nov. 1265, Martène, *Thesaurus Anecdotorum*, II, 249).
(21) Hi omnes in P. 19040 (28 febr. 1265) semel nominantur; Bonfiz Contedin die 30 junii 1267 occurrit apud Servois, in *Bibl. Ecole des Chartes*, 1858, p. 129).
(22) 18 maii 1265 (*Reg. Clem. IV*, 731).
(23) 30 nov. 1265 (Martène, *op. cit.*, 249); — 22 januarii 1273 (Tab. Sen., *loc. cit.*).
(24) 11 oct. 1266 (*Reg. Clem. IV*, 794).
(25) 28 febr. 1267 (*ibid.*, 797).
(26) 28 febr. 1267 (*ibid.*, 798).
(27) 18 maii 1267 (*ibid.*, 803). — Idem ac Bartholomeus Herrigi (1298, Tab. Sen. *Cons. Gen.*, LIV, 45).
(28) 18 maii 1267 (*Reg. Clem. IV*, 803); — 22 jan. 1273 (Tab. Sen. *Arch. Gen.*).
(29) Gallice Bencheveigne Johan ; 30 junii 1267 (Servois, *Emprunts de Saint Louis en Palestine et en Afrique*, in *Bibl. Ecole Chartes*, 1858, p. 129).
(30) 22 jan. 1273 (Tab. Sen. *Arch. Gen.*); — 21 aug. 1288 (*Reg. Nic. IV*, 7109).

Jacobus Ranuccini [1]; Rinaldus Mantellati [2]; Conradus Berignonis [3]; Bartholomæus Marchi [4]; Franciscus Bonamiki [5]; Ventura sive Thura Bonamiki [6]; Bindus Clerici seu Clariti [7]; Forese Vesconti [8]; Bartolus Johannis [9], Bencivenne Bencivenni [10], Altovitus sive Altorutus Bartholomæi [11]; Jacobus Franki, Sensus Bosi [12], Claritus Johannis [13]; Notus Magni [14], Cristoforus Benedicti [15]; Franciscus Ranuchii [16]; Bindus Henrigoli, Raynerius Johannis, Thura Bartholomæi, Jacobus Thomasii, Andreas Christophori, Christophorus Bonsignoris, Rossus Bonagratie [17], Nicolaus Bonsignoris [18]; Manfredus Bonaventuræ, Pagnus Giliocti, Meus Orlandi de Malavoltis, Gerius Montanini, Manfredus Ranuccii de Balzis, Angelus Benvenuti, Aibolus Bernardini, Vannes Herrigi [19].

Die 26 septembris 1261, Orlandus Bonsignoris et socii ut *campsores cameræ* jam occurrunt [20]. Sæpissime inde in Urbani IV et Clementis IV epistolis hoc nomine, vel titulo æquipollenti *mercatorum cameræ*, *mercatorum papæ*, insigniuntur [21]; qui nulli alii societati unquam tribuitur. Patet insuper, eos apud Urbanum et Clementem plurimum gratia et auctoritate valuisse. Inter Italicos mercatores tam multos, soli familiares papæ pluries appel-

(1) 22 jan. 1273 (Tab. Sen. *Arch. Gen.*).
(2) 9 oct. 1278 (*Reg. Vat.* 40, fol. 41 v°)); — 23 julii 1283 (*ibid.* 42, fol. 54 v°).
(3) 9 oct. 1278 (*ibid.* 40, fol. 41 v°). Idem ac Conradus de Magna Tabula aut Conradus Brignon qui in Delisle, *Opérations financières des Templiers*, p. 150 et 154 occurrit.
(4) 21 aug. 1281 (*Reg. Vat.* 42 fol. 9).
(5) 13 jan. 1282 (*ibid.*, fol. 19).
(6) 21 maii 1282 (*ibid.*, fol. 31 v°); — 23 jul. 1291, *Reg. Nic. IV*, 5758.
(7) 4 junii 1282 (*Reg. Vat.* 42, fol. 29 v°); — 21 aug. 1288 (*Reg. Nic. IV*, 7109).
(8) 4 junii 1282 (*Reg. Vat.* 42, fol. 29 v°).
(9) 13 apr. 1284 (*Reg. Vat.* 42, fol. 92 v°).
(10) 13 apr. 1284 (*ibid.*); — 20 sept. 1286 (*Reg. Hon. IV*, 609).
(11) 13 apr. 1284 (*Reg. Vat.* 42, fol. 92 v°); — 1288 (Zonghi, *Carte diplomatiche Fabrianesi*, p. 268).
(12) 11 oct. 1285 (*Reg. Hon. IV*, 183).
(13) 11 oct. 1285 (*ibid.*); — 1298 (Tab. Sen. *Cons. Gen.*, LIV, 45).
(14) 20 sept. 1286 (*Reg. Hon. IV*, 609).
(15) 30 april.-21 aug. 1288 (*Reg. Nic. IV*, 96, 7109).
(16) 12 aug. 1288 (*Reg. Nic. IV*, 601-603).
(17) 23 jul. 1291 (*Reg. Nic. IV*, 5758). — De Andrea Cristofori cf. Delisle, *op. cit.* et *Reg. Inn. IV*, 6468.
(18) *Reg. Nic. IV*, 7109 (21 aug. 1288).
(19) 1298 (Tab. Sen. *Cons. Gen.*, LIV, 45).
(20) *Reg. Vat.* 27, fol. 3 (in epistola, qua diversis collectoribus pecuniæ tum cameræ apostolicæ, tum Terræ Sanctæ debitæ injungitur, ut quicquid collegerint, sociis Orlandi Bonsignoris assignent.
(21) Cf. e. g. *Reg. Clem. IV*, 735, 783.

lantur [1]. Eorum socios Londinii commorantes Urbanus regi Angliæ commendat [2]. Ad summum pontificatum vix evectus, Clemens cardinali Sanctæ Ceciliæ in Francia apostolicæ sedis legato scripsit se eos, non semel de Sancta Sede benemeritos, *sub beati Petri et nostra protectione* suscipere [3]. Sane sedes apostolica multis mercatorum societatibus privilegia concessit ; nulla tamen, quæ formam eamdem habeant. Constat ab Urbano et Clemente Bonaventuræ Bernardini socios tum legato apostolico, tum principi Ecclesiæ devoto, commendatos fuisse tanquam viros qui sedis apostolicæ negotia gerentes, munere publico fungerentur.

Aliud etiam accedit. Urbanus IV, ut modo jam memoravi, cum civitates Italicas et præcipue Senensem, partes ghibellinas amplexas, ab amicitia Manfredi detrahere vellet, sanxit de Italicis qui in diversis Europæ partibus [4] mercaturam exercebant, ne quis debita eis persolveret; eorumque personas et bona sequestrari jussit. Sperabat enim his decretis eum exitum fore, ut quos armorum vi debellare non potuisset, iidem commercio intercepto bonisque publicatis suum erga sedem apostolicam obsequium demum reciperent. Quamplures igitur Italicorum et maxime Senensium mercatorum societates, ne dictis includerentur sententiis, « *ad devotionem Ecclesiæ* » redierunt, propriam patriam relinquentes, « *ac eligentes magis acerbitatem pati exilii* [5] ». Notandum tamen, Orlandum Bonsignoris et socios nunquam talibus sententiis et processibus inclusos fuisse, quinimo ab eis expresse exclusos et exemptos, « *quia* (sic Urbanus in bulla die 5 julii 1263 data) *obsequium ipsorum est nobis et predicte Ecclesie continue opportunum* [6] ». Eos etiam in privatis negotiis favore

(1) Cf. e. g. *Reg. Vat.* 27, fol. 143, et P. 19040. — Carolus rex Siciliæ die 10 martii 1268 archiepiscopo Arelatensi in Francia procuratori scripsit ut 10000 librarum Turonensium sociis Bonaventuræ Bernardini et Francisci Guidi, *papæ familiarium*, persolveret (*Reg. Ang.*, II, fol. 14 v°). — Die 5 januarii 1263, Urbanus IV quamplures mercatores Senenses ab excommunicatione absolvit, « *admittentes eos in nostros et ipsius sedis filios speciales.* » (*Reg. Urb. IV*, 175). Clemens IV Petrum Christophori et socios *devotos sedis apostolice* prædicavit (*Reg. Clem. IV*, 745). Manifestum est quantum intersit inter eas voces, quæ meram benevolentiam testantur, et illa rursus legitima verba, quibus proprie designantur cameræ mercatores.

(2) P. 18201.

(3) P. 19040.

(4) Ac præcipue in nundinis Campaniæ.

(5) *Reg. Urb. IV*, 175.

(6) *Reg. Vat.* 27, fol. 15 (26 jan. 1262). — *Ibid.*, fol. 39 v° (5 julii 1262). — Cum magister Milo, forisdecanus Brivatensis, cui papa sententias contra Senenses promulgandas commiserat, privilegia Bonaventuræ Bernardini et sociis concessa, utpote apocrypha, servare nollet, papa litteris die 20 julii 1262 decano Sancti Stephani Trecensis scriptis eadem privilegia confirmavit (*Reg. Vat.* 27, fol. 15 v°).

apostolico prosequebatur Urbanus. Executoribus mandabat, ut eorum debitores, si quando opus esset, per censuram ecclesiasticam ad solutionem debitorum compellerent (1).

Equidem haud ingratum fore existimaverim, si admonuerim fidei pusillæ fuisse mercatores istos, qui uno eodemque tempore iidem et summo pontifici et parti ghibellinæ officia sua impenderint.

Anno 1262 cum fama inter Senenses percrebuisset, papam in eo esse ut tres cardinales legaret, qui civitatem a Manfredi amicitia detrahere conarentur; statim Senenses vicarium generalem in Tuscia Manfredi vices gerentem rogaverunt, ut milites mitteret, qui cardinales iter agentes interciperent; Orlandus autem Bonsignoris, jussu communis, sociis suis in curia Romana morantibus scripsit, ut papam a mittendis cardinalibus averterent (2). — Die 1° decembris 1267, Pisani et Senenses, Conradino faventes, necnon et pars ghibellina Tusciæ, cum communi Romano et senatore Urbis, Henrico Castellæ regis filio, societatem inierunt; id inter eos pactum erat, ut Henricus, qui societatis capitaneus generalis erat, salarium decem millium librarum denariorum Pisanorum minutæ monetæ singulis annis acciperet; eidemque stipendia penderentur pro ducentis militibus et domicellis Hispanis (3). Hujus pecuniæ pars illa, qua obligata erat civitas Senensis, libræ scilicet 7500, Romæ expensa est curante Orlando Bonsignoris, cujus socii eam Senis a camerario communis Senensis acceperant (4). — Annis 1267 et 1268, sæpissime nomen Orlandi in libris rationum communis Senensis occurit; 1267 unus fuit de numero *quatuor provisionum*, qui cameralibus negotiis communis Senensis præerant (5). — 1270, ghibellinis tandem e civitate ejectis, inter procuratores *partis ghibellinæ* etiam tunc nominatur (6). Sic una eademque societas negotiorum gestores Orlandum Bonsignoris apud ghibel-

(1) Ne multa exempla afferamus, exstant in *Reg. Vat.* 27, fol. 43 v° et 44, plures epistolæ (mense oct. 1263 datæ) quibus diversis executoribus injungitur, ut debitores societatis Bonaventuræ Bernardini, clericos cujuscumque ordinis et laicos, Cantuariensis, Bituricensis, Rothomagensis, Arelatensis, Terraconensis, Aquilegiensis et Lugdunensis provinciarum, ad solvenda debita compellant. Exstant quoque in *Reg. Vat.* 28, fol. 18, similes epistolæ de provinciis Turonensi, Burdigalensi, Bisuntina, Treverensi, Auxitana, Narbonensi, Aquensi, Januensi, Pisana (mense novembri datæ); et in eodem *Reg.*, fol. 8 v°, litteræ similes mense novembri datæ de provinciis Senonensi, Lugdunensi, Rothomagensi, Bituricensi, Terraconensi, Arelatensi, Cantuariensi, Aquilegiensi.

(2) Tab. Sen. *Consiglio Generale*, X, 58 v° (16 aug. 1262).

(3) Ficker, *Forschungen zur Reichs-und Rechtsgeschichte Italiens*, IV, 456.

(4) Tab. Sen., *Biccherna*, XXXV, fol. 103.

(5) Tab. Sen. *Consiglio Generale*, XII, 53 v°.

(6) Tommasi, *Storia di Siena*, II, 58.

linos, Bonaventuram Bernardini et Franciscum Guidi apud curiam apostolicam habebat; constat ei, tempore eodem, utramque partem lucrosam fuisse.

Mortuo Clemente IV, Bonaventura Bernardini et socii ab officio mercaturæ cessisse videntur. Sane anno 1270 Raymundus, causarum cameræ apostolicæ generalis auditor, Firmanis mandavit ut Francisco Guidi 101 marchas solverent (1); utrum tamen dictæ marchæ ad cameram apostolicam an ad ipsum Franciscum pertinerent, ignoramus. Et die 15 augusti 1270, Carolus, rex Siciliæ, Spinello Alemanno Florentino et Guelfo Simonis Aretino, « *mercatoribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ* » licentiam tribuit bona et victualia quæ valorem quingentarum unciarum auri non excederent, de regno Siciliæ extrahendi (2).

Regnante Gregorio X, die 24 januarii 1273, commune Urbevetanum 2000 unciarum auri solvit Opizoni de Fargano (3) *mercatori et familiari papæ* (4), quem Opizonem, una cum Rolando de Ripalta, inter socios Bernardi Scotti Placentini fuisse ostendit epistola Gregorii die 27 octobris 1275 data (5). Idem Gregorius civibus Firmanis mandavit, ut 5000 librarum cameræ debita Bernardo Scotti assignarent (6). Constat igitur, societatem prædicti Bernardi, alias societatem Scottorum dictam, mercaturam cameræ exercuisse. Nec ulla causa est cur admireris a Gregorio, qui ipse genere esset Placentinus, Placentinos, qui cameræ apostolicæ negocia gerenda susciperent, potissimum electos fuisse. — Præter Rolandum et Opizonem, hi Bernardi Scotti nominantur socii in epistolis Johannis XXI et Martini IV : Ubertus de Furno, Raynaldus de Fontana (7), Guido Pilosus, Albertus et Johannes Scotti, Egidius Boccabarili, Guillelmus Guadagnabene, Rufinus de Stradiliano, Jacobus de Furno (8). — Præterea, Edwardus I rex Angliæ die 30 aprilis 1275 quingentas marchas restitui jussit *Peroche de Plasentia et sociis suis, mercatoribus domini pape* (9). Perocha ille idem fuisse videtur ac Perrachius Scovaloccus Placentinus, cui una cum Raynaldo de Molendino Raymundus de Nogeriis, in Anglia

(1) Tabarrini, *Cronache della città di Fermo*, p. 439.
(2) Tab. Neapol., *Reg. Ang. XI*, fol. 95 v°.
(3) Qui aliis in documentis *de Farignano*, *de Frangiano* vocatur.
(4) Fumi, *Codice diplomatico della città d'Orvieto*, p. 305.
(5) K. 93.
(6) P. 20979.
(7) *Reg. Vat.* 38, fol. 23.
(8) *Reg. Vat.* 40, fol. 36 v°. De Rufino de Stradiliano, Leonardi filio, cf. Blancard, *Documents inédits sur le commerce de Marseille au Moyen-Age*, I, 305, 329, 330.
(9) Bond, *loc. cit.*, p. 276.

denarii Beati Petri collector, anno 1274 1160 marcas persolvit ad cameram transmittendas [1]. Perrachius ergo Scovalocus vel alteri societati præerat, quæ una cum Scottis mercaturam cameræ gerebat, vel, ut verosimilius videtur, et ipse socius erat Scottorum [2].

De Innocentio V et Hadriano V nihil compertum habeo ; eos tamen, cum per brevissimum temporis spatium regnaverint, nihil immutavisse arbitror. Johannes XXI, Scottis dimissis, Bonaventuram Bernardini et socios cameræ mercatores iterum sumpsit. Nam die 1° octobris 1276, confessus est Ecclesiæ Romanæ plene satisfactum fuisse a sociis de societate Scottorum « *de duodecim millibus librarum Turonensium, quas receptas per vos seu aliquos vestrum pro Romana Ecclesia nomine depositi servabatis, solutis per vos de mandato nostro dilectis filiis Bonaventure Bernardini, Raynerio Jacobi et Fatio Berignonis, civibus Senensibus, mercatoribus nostris, recipientibus nomine prefate Ecclesie* [3] ».

Nicolaus III duabus insimul societatibus ut mercatoribus cameræ usus est [4] ; societate videlicet Bonaventuræ Bernardini, ac societate Pulicum [5] et Rimbertinorum [6] de Florentia. Inter socios Pulicum et Rimbertinorum inveniuntur, tempore Nicolai III, Martini IV, Nicolai IV : Bonsignore Bonaccursi et Pepus Bonaprisæ seu Bonapersæ [7], Loffus Bonaguide et Lapus Arnolphi [8], Durazus Uberti [9], Franketus Rimbertini [10], Mainectus Raynaldi [11], Symon Rote, Ubertus et Guelfus Raynaldi Jacobi, Franciscus Rimbertini Ammanati, Ademarius Rote, Benisigne Bonaccursi [12], Rogerius Uberti [13], Rimbertinus Jacobi [14], Cantus Gerardi [15], Amman-

(1) P. 20797 (*Reg. Greg. X*, 340).

(2) Animadvertendum, quod Johannes Villani (ap. Muratorium, *Rerum Italicarum Scriptores*, XIII, 263) narrat Gregorium X, cum anno 1273 Florentiæ moraretur, ecclesiam Sancti Gregorii consecravisse, quam ædificavissent Mozi, qui mercaturam cameræ exercentes (« *i quali erano mercatanti della chiesa del Papa* ») divites facti erant. Hic tamen tempora confudisse videtur. Mozi, una cum Scalis, quibuscum tunc temporis negotia gerebant, mercaturam cameræ, Alexandro IV regnante, exercuerant. Eam rursus, seorsum tamen, Martini IV temporibus gesserunt.

(3) *Reg. Vat.* 38, fol. 23.

(4) In P. 21572 et *Reg. Vat.* 40, fol. 41 v°, insimul nominantur.

(5) Alias Pulcium aut Pulciorum.

(6) Alias Rambertinorum aut Lambertinorum.

(7) *Reg. Vat.* 40, fol. 41 v°.

(8) P. 21572.

(9) *Reg. Vat.* 42, fol. 9.

(10) *Ibid.*, fol. 19 et passim. — Cf. *Reg. Nic. IV*, 7110.

(11) *Ibid.*, fol. 31 v° et passim.

(12) Idem forse ac Bonsignore Bonaccursi.

(13) Cf. de eo Delisle, *Les Opérations financières des Templiers*, p. 140.

(14) *Reg. Vat.* 42, fol. 33.

(15) *Ibid.*, fol. 54 v°, et Delisle, *loc. cit.*

natus Rotæ[1], Bonincontrus Jacobi et Brachinus Gerardi[2], Bertus Guelfi[3], Baldus Maynecti Rimbertini[4], Radulphus et Johannes Bonaguide ac Rogerius Dardorei[5]. Quam societatem eamdem fuisse ac societatem Maynetti Rimbertini, quæ tempore Urbani IV floruerat, plurium nominum similitudo comprobat[6].

Martinus IV, pontificatus initio, tertiam societatem, illam scilicet cui præerant Thomas Spiliati et Hugo Spinæ Florentini, servitio cameræ adscivit[7]; mox etiam, urgentibus innumeris gravissimisque cameræ negotiis, quartam, Riccardos[8] scilicet Lucanos. Riccardi ut apud papam, sic et apud Edwardum regem Angliæ, cujus mercatores dicuntur, plurimum auctoritatis habebant[9]. Inter eos, tempore Martini IV, Honorii IV, Nicolai IV nominantur : Labrus Vulpelli et Vantus Honesti, qui societatis negotia apud Martinum IV gerebant, Raynerius Maghierii, Orlandinus Pogii sive de Podio, Richardus Pogii, Dinus Tadolini[10], Sarracenus Machi et Lottus Aldebrandini[11], Raynerius et Bertholottus Bondini[12], Paganellus seu Nellus Gualandi et Ghinus Christophori[13], Paganuctius Guiditionis, Johannes Symonetti, Adjutus Rossempili, Franciscus Guiditionis, Bonaventura Romanioli, Nicolutius Liene, Banus Pili Rictii[14], Riccardus Guiditionis, Riccardus Gottoli, Thomasius Guiditionis[15]. — Societas Thomæ Spiliati et Hugonis Spinæ, quæ in nonnullis documentis societas Mozorum appellatur[16], ex societate de Scala originem traxerat. Hi enim Thomæ Spiliati et Hugonis Spinæ socii erant : Medicus Alioti[17],

(1) *Reg. Vat.* 42, fol. 70.
(2) *Ibid.*, fol. 86 v°.
(3) Bibl. Nat. Paris., Lat. 17133, fol. 31.
(4) *Reg. Nic. IV*, 7110.
(5) *Ibid.*, 7084.
(6) Cf. supra, p. 14, n. 1.
(7) Una cum societatibus Bonaventuræ Bernardini et Pulicum ac Rimbertinorum primum occurrit in epistola die 21 aug. 1281 data (*Reg. Vat.* 42, fol. 9).
(8) Sive Riczardos aut Rizardos.
(9) Cf. Bond, *loc. cit.*, p. 278 et seq.
(10) *Reg. Vat.* 42, fol. 19.
(11) *Ibid.*, fol. 54 v°.
(12) *Ibid.*, fol. 36 v°.
(13) *Reg. Nic. IV*, 96-100.
(14) *Ibid.*, 3653.
(15) *Ibid.*, 6668. — [His addendi : Fredericus quondam Sarraceni Incallocchiati, Nicolucius quondam Bonaccursii Mingosi, Andreas Parentii Ricciardi, Johannes Symonetti, Vannis Basciompeli, Abbas et Philipputius Talgardi, Bendinus Paruchi, Johannes Gambardi, qui in instrumento ab Arias, *Studi e documenti*... 157 publici juris facto apparent.]
(16) Cf. rationes decimæ in Norwegia, Honorio IV regnante, collectæ, in Munch, *Pavelige Nuntiers Regnskabs-og Dagboeger*, p. 11-14; ac Bond, *loc. cit.*, p. 282.
(17) *Reg. Vat.* 42, fol. 9.

Dinus Johannis [1] qui pro gerendis sociorum rebus in curia apostolica regnante Martino IV morabatur, Rubellatus Hugonis, Maynectus Spinæ, Ruccus et Dritta Cambii, Lapus Hugonis, Clerus Saginæ, Feus Bonfantini, Lapus Johannis, Duccius Junctæ, Symon Gerardi [2], Raynaldus Campanæ [3], Janus seu Johannes Bentavegne [4], Cinus Colti [5], Boninus Raynerii, Restorus Bonaventuræ [6], Bindus Isquartiæ [7], Azulinus Salvi [8], Baldus Ruffoli, Bentinus Davanzati, Cianus Michaelis [9], Johannes Jacobi, Rogerius Maynetti, Philippus Rogerii Maynetti, Getius Donati, Philippus et Spina Hugonis, Gerardus Boscoli [10]. Hunc catalogum si cum catalogo sociorum Jacobi de Scala quem supra edidimus, conferas, videbis tum Thomam Spiliati et Hugonem Spinæ, tum plures eorum socios, ut Maynettum Spinæ, ac Ruccum et Drittam Cambii, Alexandri IV et Urbani IV tempore inter socios Jacobi de Scala fuisse. Nominatur tamen in epistolis Martini IV die 13 septembris 1282 et die 13 augusti 1284 datis [11], societas de Scala aut Scalorum, cujus socii erant Cieffus Bonisigne, Maynettus Hugonis et Lapus de Scala, Jacobus, Johannes, Albertus, Folia et Alamannus filii quondam Aymerii Cosæ, Castellanus Lapi, Lippus et Riccardus filii quondam Petri Benincasæ, Tegla Amadoris, Bonacosa seu Cosa Fulchi, Ugolinus de Vichio, Lotherius Bonaguide, Bonapresa Importuni. Aymerium autem Cosæ, Petrum Benincasæ, Teglam Amadoris, anno 1263 inter socios Jacobi de Scala jam repperimus. Ex quo patet, societatem Thomæ Spiliati, cui Martinus IV cameralia negotia gerenda commisit, societate Jacobi de Scala divisa natam fuisse [12].

Riccardi, una cum societatibus Pulicum et Rimbertinorum, Bonaventuræ Bernardini et Thomæ Spiliati die 7 maii 1283 [13] primum ut mercatores cameræ in regestis pontificalibus occurrunt. Quatuor inde societatum sæpissime in regestis habetur

(1) *Reg. Vat.* 42, fol. 19 et passim.
(2) *Ibid.*, fol. 21.
(3) *Ibid.*, fol. 32.
(4) *Ibid.*, fol. 119.
(5) *Reg. Hon. IV*, 519.
(6) *Ibid.*, 155.
(7) *Ibid.*, 218
(8) *Ibid.*, 219.
(9) *Ibid.*, 222.
(10) *Reg. Nic. IV*, 96, 4037, 7108.
(11) *Reg. Vat.* 42, fol. 36 v° et 104 v°.
(12) [Hanc divisionem paulo ante diem 9 sept. 1280 factam fuisse testatur documentum a v. cl. Arias (*Studi e documenti di storia del diritto*, 87) citatum.]
(13) *Reg. Vat.* 42. fol. 48.

mentio, donec anno 1285 Pulices et Rimbertini officium, ut videtur, deposuere. Die enim 27 januarii 1285 [1] etiam mercatores cameræ vocantur; die autem 21 februarii, cum papa mandavisset ut quicumque mercatores pecuniam de decima pro subsidio Terræ Sanctæ collecta custodirent, eam mercatoribus cameræ assignarent, Pulices et Rimbertini certam pecuniæ decimalis summam tribus societatibus Bonaventuræ Bernardini, Thomæ Spiliati et Riccardorum solverunt [2]; ex quo conjici licet, eos suum in camera ministerium jam reliquisse.

Eos tamen Honorius IV rursus ad ministerium cameræ adscivit, et una cum societatibus Bonaventuræ Bernardini, Thomæ Spiliati et Riccardorum retinuit [3]. Die 11 julii 1285, socios Thomæ Spiliati et Lapi Hugonis [4] « *in Anglicanis partibus commorantes* » regi Angliæ commendavit [5].

Vacante post obitum Honorii sede apostolica, eædem quatuor societates *cameræ sedis apostolicæ mercatores* dicuntur [6]. Quibus Nicolaus IV primum Clarentinos Pistorienses ac postea Frescobaldos Florentinos adjunxit. Societas Clarentinorum (alias Clarentum, vel Anselmi Clarentis, vel filiorum Clarentis dicta) una cum quatuor reliquis societatibus in epistola die 28 aprilis 1288 data primum nominatur [7]; cujus erant participes : Clarentinus et Lanfrancus Anselmi, Mergoglisius seu Merguliesius et Johannes Brichii seu Brachii, Gherardinus Bonini, Pucius [8] et Baldus Raynerii, Marsupinus et Anselmus Meliorati, Franciscus, Raynerius et Morigianus seu Morganus Floravantis, Pepus Bufercini [9], Lapus Brachii, Johannes del Forte, Bertinus et Vannus Fortebrachii, Conradus Gaii seu Galligaii [10], Michael Bartholomaei, Symon Anselmi, Fortinus Raynerii, Symon Bonacursi, Andreas Cazatini, Pucius et Mannus Daynesi, Justus Foresi, Chinus et Mochus Pepi [11]. So-

(1) *Reg. Vat.* 42, fol. 115.
(2) *Ibid.*, fol. 119 v°.
(3) P. 22252 (5 julii 1285).
(4) Is Lapus Hugonis filius erat Hugonis Spinæ et, ut arbitror, defuncto patri in regenda societate successerat.
(5) P. 22255.
(6) *Reg. Nic. IV*, 96-100.
(7) *Ibid.*, 7015.
(8) Is anno 1281 consul erat mercatorum Pistoriensium in Nemauso commorantium (Berti, *Documenti riguardanti il commercio dei Fiorentini in Francia nei secoli XIII e XIV*, *in Giornale storico degli Archivi Toscani*, 1857, p. 168).
(9) De eo cf. Berti, *loc. cit.*, p. 171.
(10) De eo cf. Zdekauer, *Documenti Senesi riguardanti le fiere di Champagne*, p. 25.
(11) *Reg. Nic. IV*, 6926, 7094, 7112, 7158, 7159, 7177, 7379. Adjungendi, Bonifacii VIII tempore, Andreas Merguliesi, Boninus et Radulphus Gerardini, Lapus Baldi Raynerii, Bartholomæus Franconis, Nellus Andreæ, Lottus Anselmi, Paulus Johannis, Philippus et Johannes (Pucci) de Floravantibus ; quorum nonnulli filii videntur superiorum (*Reg. Bon. VIII*, 2157, 2182, 3500, 4109).

cietas Frescobaldorum (alias Lambertinii aut Lambertucii de Frescobaldis) una cum aliis mercaturam cameræ die 28 maii 1291 (1) jam exercebat; hæc nomina sociorum ex epistolis Honorii IV et Nicolai IV deprompta (2) : Petrus Foresi, Charus del Verre, Restorus Spiliati, Bonacursus Foresi, Guelfus Johancani, Lapus Bonajuti, Scolaris Chimenti, Vannis Panfoleta, Octavianus Calli, Johannes Jacobi, Camilus (seu Canulus) Beni, Masus (seu Mafus) Uberti, Franciscus Diotajuti, Johannes Dolchibene. — Nicolaus IV mercatores suos speciali favore prosecutus est. Die 8 julii 1290, Labrum Vulpelli de societate Riccardorum regi Angliæ commendavit, « *quia ipse propter suæ probitatis merita nobis est pro Apostolicæ sedis negotiis frequenter non modicum opportunus* (3) ». Pro iisdem Riccardis anno 1288 Philippum IV regem Franciæ rogaverat « *quatinus pro nostra et Apostolice sedis reverentia mercatores ipsos et eorum socios Parisius vel in locis aliis regni Francie commorantes habens propensius commendatos, eos talliis seu nuntiis vel oneribus aliis non graves neque per alios gravari permittas, ut facilius et commodius prosequi valeant obsequia Ecclesie memorate* (4) ». Cumque Philippus mercatores Italicos in Francia commorantes et bona eorum arrestari jussisset, eum bis flagitavit Nicolaus, ut « *mercatores eosdem et specialiter illos de societatibus filiorum Bonsignoris de Senis, Thome Spiliati et Lapi Hugonis Spine, Pulicum et Rimbertinorum ac Lambertucii de*

(1) *Reg. Nic. IV*, 7326.

(2) *Reg. Hon. IV*, 621, 640, et *Reg. Nic. IV*, 151. — Frescobaldi primum cum Franciscis, de quibus infra loquemur, una societate erant conjuncti (Piton, *Les Lombards en France et à Paris*, p. 105). — Frescobaldorum societas Clementis IV tempore jam florebat. Anno 1265 (*Reg. Clem. IV*, 87 et 125), absoluti fuerunt a sententiis contra ghibellinos latis Jacobus Riccomandi et Albertinus Rotæ, Ghinus Fruscobaldi, Barducius et Jacobus Lamberti Fruscobaldi fratres, Hugolinus Benivieni, Coppus et Rainerius Joseppi fratres, Corbolinus Benivi, Meliorellus Allioni, Puccinus Amatoris, Restorinus Spiliati. — De Jacobo Riccomandi et Albertino Rotæ cf. P. 19104. — Martinus IV, die 4 oct. 1282, 1312 marcas sterlingorum mutuas accepit a Gualterio Angelotti, Berto, Guidone et Ghino de Friscobaldis, Coppo Joseppi, Corbolino Benivi, Rigoletto Vinci, Michaele Johannis, Caro et Guadangiolo Guidonis, Rucco Picti, Ghino Zuffagni, Puccio Amatoris, Rainerio Jacobi, Zepperello Deuteaiuti, Jacobo de Fronte, Lapo Cotennæ, et Lutherio Boniinfantis (*Reg. Vat.* 42, fol. 36 v°). — Hæc pauca de Frescobaldorum historia.

(3) P. 23314 (*Reg. Nic. IV*, 7561).

(4) *Reg. Nic. IV*, 7161. — Philippus IV Riccardos specialibus oneribus gravasse videtur. Nam in documento Tabularii Parisiensis quod Boutaric in *Notices et Extraits des Manuscrits*, XX, 2e partie, 129 et Funck-Brentano in *Revue Historique*, 1889, publici juris fecerunt, legitur regem percepisse : « *Item de la taille des Lombars singuliers et de la finance de la compagnie des Richars de Lucques environ LXV M livre tournois.* »

Friscobaldis de Florentia, Riczardorum de Luca et Clarentinorum de Pistorio, qui quorumque socii nostre sunt camere precipui mercatores et Ecclesie Romane diutius utiliter servierunt; necnon Ubaldinum de Infangatis et alios de societate dilectorum filiorum de Canigianis, cives et mercatores Florentinos », libertati restitueret et « *a quovis onere ipsis imposito* » liberaret [1]. Quibus liberatis, regem etiam hortatus est, « *quatinus... prefatos mercatores et potissime illos de Bonsignoris, Thome Spiliati et Lapi Hugonis Spine, Pulicum et Rimbertinorum societatibus supradictis, ... ab omni arrestationis obstaculo et quovis gravamine...... absolvas, eis gratiose restituendo integre bona sua, et si quid etiam occasione hujusmodi de mandato regio sit fortassis exhibitum ab eisdem* [2] ».

[In litteris a sociis Bonsignorum apud curiam morantibus scriptis, legitur Nicolaum 200.000 librarum Turonensium, quæ rex Franciæ Ecclesiæ Romanæ deberet, concessisse Clarentinis, « *che so suoi speziali mercatanti* ». Inde alias conjeceram [3], ultimis Nicolai temporibus ceteros mercatores ab officio dimissos fuisse, solis remanentibus Clarentinis. Cum tamen hæc epistola die 12 septembris 1291 data fuerit, die autem 3 octobris socii filiorum Bonsignoris, Thomæ Spiliati, Pulicum et Rimbertinorum, Frescobaldorum ac Riccardorum una cum Clarentinis inter præcipuos cameræ mercatores habeantur, vanam hypothesim fuisse constat. Ceterum *præcipuos* mercatores cameræ (quæ appellatio, quod sciam, in solius Nicolai IV litteris occurrit) idem fuisse ac mercatores cameræ, persuasum habeo; nec duos ordines mercatorum cameræ distinguendos esse quidquam comprobat.]

Tribus tantummodo mercatorum cameræ societatibus usus fuit Celestinus V, Clarentinis [4] scilicet, Riccardis [5], ac societate de Scala sive Scalorum [6]. Id ei quoque necesse fuit, ut Riccardis apud Philippum IV patronus adesset, quos rex Franciæ, insimulatos quod pecuniam regi Angliæ mutuam dedissent, capi jusserat [7].

(1) *Reg. Nic. IV*, 7326 (28 maii 1291), 7384 (3 oct. 1291). — In 7384 commemorat papa « *societatum predictarum suffragium pro negotio Terre Sancte* » quamplurimum opportunum esse. — De Lombardis Philippo IV regnante in Francia vexatis, cf. Boutaric, *La France sous Philippe le Bel;* Perrens, *Histoire de Florence*, II, 356; necnon et epistolam Consilii de Circulis et sociorum apud Emiliani-Giudici, *Storia politica dei municipi italiani*, IV, 237.

(2) *Reg. Nic. IV*, 7393 (15 martii 1292).

(3) [*La faillite des Buonsignori*, in *Mélanges Fabre*, 428-429.]

(4) P. 23949 (Bibl. Nat. *Lat.* 4047, fol. 61).

(5) Arch. Nat. L. 278, nº 2.

(6) Petrus Baronis et Bertus Bosti, de Scalorum societate, una cum Clarentinis occurrunt in Bibl. Nat. *Lat.* 4047, fol. 62 (P. 23997).

(7) Arch. Nat. L. 278, nº 2 (8 oct. 1294).

Bonifacius VIII, in primis pontificatus temporibus, Clarentinos necnon et Spinos ac Mozos Florentinos adhibuit (1). Societas Spinorum societas quoque Rogerii et Lapi Spini de Spinis dicebatur; Mozi interdum a Thoma Spiliati et Vanne de Mozis nomen accipiebant. Spinos et Mozos unam olim fuisse societatem testatur Clemens V (2); testantur etiam nomina mercatorum quæ cujusque erant participes. Hæc nomina Spinorum : Rogerius Maynecti (filius Maynecti Spinæ), Lapus Hugonis (filius Hugonis Spinæ), Philippus et Spina Hugonis fratres Lapi, Medicus Alioti, Symon Gerardi, Albizus Martini, Bentius Davanzati, Rinuctius Hugonis, Gerardus Hugonis, Cyntus Cambii, Andreas Gualterotti, Guerente Jacobi, Vannis Paganetti, Raynuctius Huchi, Masseus Clarissimi, Andreas Bonaventuræ, Nerus Cambii, Bonifacius Rogerini, Gerardus Rustici, Guido Bertaldi, Cinus Bofi, Philippus Girardini, Pierus et Vannis fratres Rogerii [Maynecti] Spinæ de Spinis, Nerus Aliotti, Duccius Junctæ, Advocatus Gerardi, Gerardus Huchi, Bartholomæus Marchi, Philippus Lamberti, Bartholus Abandichi, Cinus Bosii, Guido Bardi, Guido Bertaldi, Maynectus Jacobi, Johannes Grandonis, Tutius Cotto, Bolino Marsopi (3), Bericevutus Cambii (4), Pagnus Chochi (*sic*) (5). Hæc nomina Mozorum : Thomas Spiliati, Riccardus et Andreas Thomæ Spiliati (alias Riccardus et Andreas de Mozis), Thomas Vanni de Mozis, Johannes Jacobi, Landus Sigoli, Feus Bonfantini, Janus Bentivegne, Borchinus Lotterii, Nicolutius ejusdem Borchini filius, Gerardus de Boscolis, Davanzatus seu Zatus Francisci, Lapus Pitti, Jacobus Davanzati, Philippus Barchi, Bartholinus Johannis, Jacobus Clariti, Lapus Aringhi, Bartholus Usimbardi, Ambrosius Junctæ, Bartholomæus

(1) Insimul in *Reg. Bon. VIII*, 826, 1225, 1296, 1305, 1697, 2026, separatim in multis epistolis occurrunt. — [His adjungendos esse Franciscos quoque Florentinos, comprobare videntur litteræ Caroli II Siciliæ regis (Davidsohn, *Forschungen zur Geschichte von Florenz*, III, p. 61, nº 274) quibus testatur papam sibi die 9 febr. 1297 4000 unciarum anni « *per mercatores suos de societate Francisorum* » exhibuisse. Constat, ut infra demonstrabitur, Franciscos, ut apud Philippum IV regem Franciæ, sic, aliquandiu saltem, apud Bonifacium VIII in maxima gratia fuisse, et negotiis adhibitos esse. Nunquam tamen, quod sciam, in apostolicis litteris mercatores cameræ nominantur.]

(2) *Reg. Clem. V*, 1152 : « ... *quamdiu societas vestra* [i. e. Spinorum] *et predictorum Mozorum una fuit, quam etiam postquam ab ipsa societate Mozorum vestra societas extitit separata.* »

(3) Blancard, *Documents inédits sur le commerce de Marseille au M.-A.*, II, 506.

(4) *Reg. Bon.*, VIII, 826, 1096, 1305, 1225, 1697, 2400, 2434, 2559, 2616, 2966, 3004, 3167, 3924. [Addendi etiam : Andreas de Tignano, Gabriel Bertoldi, Jacobus Ughi, Gerardus Junctæ, Johannes Berlingerii, Bonincontrus Jacobi, Bartholus Johannis, Johannes Massei, Johannes Mathei (idem forsan ac antecedens), Bellandus Gualducii, Johannes Gerardini, Tucius Locchi, Tuczo Cechi (idem forsan ac antecedens, et idem ac Tutius Cotto qui supra memoratur), *Reg. Bon. VIII*, 1674, 3483, 3490, 3501, 3849, 3987, 4045, 4181, 4183.]

(5) Berti, *Giornale Storico degli Archivi Toscani*, 1857, p. 173.

Gerardi, Calojohannes Cipriani, Gambinus Falconerii, Cancinus Spiliati, Lapus Scandittu, Zianus Marzoli [1], Feus Bonjohannis [2]. — Rogerius autem Maynecti, Lapus Hugonis, Medicus Alioti, Symon Gerardi, Philippus et Spina Hugonis, Duccius Junctæ (nunc Spini), ac Thomas Spiliati, Johannes Jacobi, Feus Bonfantini, Janus Bentivegne (nunc Mozi), Martino IV et Nicolao IV regnantibus omnes unius societatis fuerant socii [3], illius scilicet, quæ primum Thomæ Spiliati et Hugonis Spinæ, postea, mortuo, ut videtur, Hugone, Thomæ Spiliati et Lapi Hugonis [4], interdum quoque Mozorum societas dicebatur. Qua post diem 15 martii 1292 [5] divisa, constitutæ sunt duæ societates, quarum altera Spinorum nomen usurpavit, altera Mozorum nomen retinuit.

Ultimis pontificatus temporibus, sed post diem 10 aprilis 1302 [6], Bonifacius Mozos dimisisse videtur [7]; die tamen 24 augusti 1303 [8] Bardos Florentinos servitio cameræ adscivit; quorum societas Urbani IV tempore jam florebat [9]; inter quos in registro Clementis V nominantur [10] : Gerardus Lanfredini, Andreas Gualterotti, Rainaldus Lotteringi, Gualterottus, Lapus et Anastasius de Bardis, Doffus et Jacobus quondam Bartoli, Riccus Ricchi, Philippus Gualterotti, Boninsegna Angiolini, Philippus Aldebrandini, Ricchinus Clari, Bencivenne Bonsostegni, Dinus Forzecti [11].

Bonifacius non minus quam prædecessores in fovendis mercatoribus cameræ sollicitus fuit. Die 8 julii 1295, regem Angliæ rogavit, ut Johanni Aldebrandini, Nicholao Caccialeoni, Giano et Villano Lucheti de societate Clarentum, quos « *pro quibusdam Romane Ecclesie negotiis ad partes Angliæ* » transmittebat, de

(1) *Reg. Bon. VIII*, 826, 1096, 1188, 1225, 1305, 1697, 1907, 2550, 3002. [Addendi Guarentus Jacobi, Nicolaus Burgi, Gerardus Fachonerii Falconerii, *ibid.* 4053, 4055.]
(2) Berti, *loc. cit.*
(3) Cf. supra, p. 24-25.
(4) *Reg. Nic. IV*, 7015, 7108.
(5) Hoc patet ex *Reg. Nic. IV*, 7393.
(6) P. 25143.
(7) Nam die 27 octobris 1303 non occurrunt inter mercatores qui vasa aurea de camera papæ receperunt pro coronatione Benedicti XI; nominantur tantum Spini, Clarentes et Bardi (cf. Ehrle, *Schatz, Bibliothek und Archiv der Pæpste im XIV Jahrhundert*, in *Archiv für Literatur-und Kirchengeschichte des M. A.*, I, 5). — Cur Mozi dimisii fuerint, vide infra, p. 35.
(8) *Reg. Clem. V*, 1151.
(9) Anno 1263, Giannus Bonaguide Bardi una cum fratribus Matthæo, Lapo et Cotto, filiis Bonaguide, et nepotibus Ricco Beltrami, Guarnerio Matthæi et Antonino filio Gerii, partem ghibellinam reliquit (*Reg. Vat.* 28, fol. 4).
(10) *Reg. Clem. V*, 8314.
(11) In epistola quadam Martini IV (*Reg. Vat.* 42, fol. 37) occurrunt : Boninsegna Angiolini, Gualterottus, Lapus, Chinus, Bartholus, ac Simon filii quondam Jacobi de Bardis, Riccus Salvancia, Tadeus Orlandi, Bartholus Jacobi, Michael Bonasera, Gualterottus et Lapus Stoldi, Lambertus Rainerii, Bonajutus Jacobi et Clarus Oliveari.

securo conductu provideret [1]. — Die 12 junii 1299, eumdem regem hortatus est, ne Spinos vexari pateretur, qui mutuum ab officialibus regis requisitum exhibere noluerant [2]. — Anno 1301, occasione cujusdam rixæ in civitate Londoniensi exortæ, officiales regis contra Spinos « *indebite procedentes* », personas eorum ceperunt; ac bona « *sub eorum signata sigillis arrestarunt, ... decimas quoque de nostro mandato et auctoritate* (sic papa in epistola die 24 sept. 1301 data) *per collectores ad hoc specialiter deputatos a nobis in Hibernia recollectas, et apud mercatores nostros de societate predicta depositas, necnon et quasdam merces ex pecunia ipsa emptas, sociis abstulerunt eisdem* ». Bonifacius regi injunxit, ut Spinos liberari juberet, cum sedes apostolica « *nedum in seipsa, et in specialibus ejus agendis, sed in illis etiam qui ejus obsequia prosequuntur, vel alias ei studio specialis devotionis adherent, confidat per regalem excellentiam honorari* [3] ». — Quam bene ergo mercatores cameræ de sede apostolica meriti sint, ex indefessa opera liquet, quam in eis contra reges et principes defendendis adhibebant pontifices.

Quamvis id præcipue nobis proposuerimus, ut aperiamus quonam modo rerum fiscalium administrationi adhibiti fuerint cameræ argentarii, consilio tamen nostro non omnino alienum censemus, opera vv. cl. Perrens [4], del Lungo [5] et Levi [6] ita colligere, ut appareat quænam, cum Bonifacius VIII, tum Benedictus XI, etiam in Italicis rebus componendis officia petiverint ab eis argentariis quorum ministerio uterentur ; eo magis quod manifestum erit ea ætate nonnunquam summis pontificibus potissimi momenti fuisse eamdem hanc politicarum rerum curam in eligendis illis mercatorum societatibus, quibus rei nummariæ provinciam permitterent [7].

Quivis eas paginas legerit, id profecto animadvertendum judicabit, singulas scilicet Florentinorum mercatorum societates, ut mutentur, dividantur et fiant multiplices, ita simul eo tendere ut unaquæque uni familiæ quasi patrimonium quoddam tribuatur.

(1) P. 24126.
(2) P. 24839.
(3) P. 25075.
(4) *Histoire de Florence*, II-III.
(5) *Dino Compagni e la sua Cronaca.*
(6) *Bonifazio VIII e le sue relazioni col Comune di Firenze*, in *Archivio della Società Romana di Storia patria*, V, 365.
(7) [Cf. etiam Arias, *Il fondamento economico delle fazioni fiorentine de' guelfi Bianchi e de' guelfi Neri*, in *Studi e documenti di storia del diritto*, 121 et seq.; cui tamen in omnibus assentire nequeo; et Schneider, *Die finanziellen Beziehungen der florentinischen Bankiers zur Kirche von 1285 bis 1304*, 23 et seq.].

Res quidem non ita se habet, ut in singulis societatibus nemo inveniatur qui cum ceteris sociis genere non sit conjunctus; sed qui ex eodem genere orti sunt, numero longe plures et gratia præpollentes societatis regimen exercent. Ipsa nominum inspectione satis id comprobatum erit; nam, XIII sæculo nondum ad finem vergente, viget etiam tum consuetudo singulis argentariorum societatibus plurium sociorum nomina imponendi; dum contra, eodem sæculo jam finiente, singulæ societates unum ejus familiæ nomen habent penes quam positum est regiminis officium.

Eædem vero illæ familiæ in civitate Florentina publicis consiliis diligentissime se immiscent. Neminem fugit, Florentiam sæculo XIII exeunte gravissimis dissensionibus laborasse, discordantibus inter sese nobilibus ac popularibus. Anno 1293, præpollentibus popularibus, tum, ut plebeiorum pars invalesceret, septem *majoribus artibus* ex quibus priores qui civitatem regerent eligebantur, quinque aliæ additæ fuerunt ; tum *Ordinamenta justitiæ* condita, novæ scilicet leges, quibus gravissimæ pœnæ iis nobilibus proponebantur, qui popularibus vim inferrent ; cavebatur etiam, ne magnates in ullum publicum officium assumerentur [1]. Quarum legum auctor et instigator Gianus dictus de la Bella fuerat. Inde odia concitata; nec aliud magnatibus consilium quam ut pœnas a Giano repeterent, novam reipublicæ Florentinæ formam everterent. Magnatum vero nomine intelligebantur illæ quoque gentes, quæ plebeia stirpe oriundæ, rebus per mercaturam auctis cum nobilibus consuetudinem fecissent aut connubia conjunxissent, et ex quibus militiam quis adeptus esset. Gentes ergo, quæ maximis mercatorum societatibus præerant, ut Frescobaldi, Bardi, Circuli, Spini, Mozi, tum Giano de la Bella, tum legibus contra nobiles latis acriter adversatæ sunt [2]. Nec mirum, si Bonifacius VIII eis subvenerit, tum quia Gianus ghibellinitatem redoleret, tum etiam ut iis faveret, quos in mercatores cameræ assumpsisset. Cum ergo Gianum, seditione quadam pulsum, amici ac fautores revocare conarentur, inhibuit pontifex Florentinis [3], ne eum in civitatem admitterent, aut ad officium aliquod eligerent.

Hic primus Bonifacii in Florentinis rebus interventus. Posterius tamen, Alberto Austriæ duce in Romanorum regem electo, cum de

(1) Attendendum tamen, magnates illos qui mercaturam aut cambium exercerent, cum *artium* essent socii, indirecte rempublicam attigisse (cf. Del Lungo, *Dante ne' tempi di Dante*, pp. 36-37, 47-48).

(2) Seditionis die 6 julii 1295 a magnatibus suscitatæ principes erant Forese Adimari, Vannis de Mozis et Gerius Spinæ (Perrens, *op. cit.*, II, 427).

(3) Levi, *loc. cit.*, p. 448 (23 jan. 1296). — Cf. *Reg. Bon. VIII*, 864.

electione confirmanda deliberaret pontifex, consilium suscepit ut opportunitate fretus a rege et principibus imperii Tusciam postularet Ecclesiæ concedendam. Quod ut exsequeretur, nihil utilius existimavit, quam ut Florentinorum consensu et voluntate niteretur; nihil igitur antiquius habuit, quam ut discordantes partes inter se componeret et sibi ipsi conciliaret (1). Etiam tum Florentia factionibus perturbabatur; mutatis tamen conditionibus, nobiles illi, qui antea contra populares conjuncti fuerant, nunc inter sese dissidebant. Hinc Donati, illinc Circuli; inter Donatorum fautores Spini ac Frescobaldi; Mozi e contra et Scali Circulorum partes amplexi ; illis Cursus de Donatis, his Vierius Torresiani de Circulis præerant ; mox illis Nigrorum, his autem Alborum addita cognomina. Ut Frescobaldi, Spini, Mozi, Scali, sic et Circuli mercatura pollebant; quorum societas Urbani IV tempore jam vigebat, guelfam partem secuta (2). Plurimum exinde, tum in administranda republica (3), tum in gerendis bellis (4), tum in exercenda mercatura (5) excelluerunt; nulli Florentinorum genti tunc inferiores. Pacis ergo conciliandæ causa, Bonifacius utriusque partis principes, Vierium scilicet ac Cursum, ad curiam arcessivit. Qui cum accessissent, Vierius autem reconciliationem respuisset, totus, ut ita dicam, Niger effectus est Bonifacius; cui parti ut potissimum faveret, plurimum quoque adjuverunt Spini, qui tunc temporis mercaturam cameræ exercebant ; ac præsertim Simon Gerardi,

(1) De iis cf. Levi, *loc. cit.*

(2) De Circulorum historia cf. del Lungo, *Dante ne' tempi di Dante* (p. 39-54). — Circulus Oliverii Circuli post pugnam apud Montem Apertum nomine guelfæ partis cum Farinata de Ubertis de pace tractavit (*ibid.*, 46). — Idem anno 1264 una cum sociis Gerardino, Lapo, Brunellino, Arricho et Consilio fratribus, filiis quondam Oliverii Circuli, Vierio nato quondam Turrisani Oliverii Circuli, et Doca filio quondam Pucci Oliverii Circuli absolutionem obtinuit a sententiis in Manfredi sequaces latis (Rodenberg, *Epistolæ sæc. XIII*, III p. 601). — Bindum Galligaii de Mactis, Teglarium Tedaldi, Ubertum Cambii, Manfridum Oderici, Naddum Boniczi, Taddum Raynerii, Guiducium Cavalcanti, Bonsignorem Bonaiuti, absolvi jussit Clemens IV (*Reg. Clem. IV*, 86)).

(3) In domibus ad Circulos pertinentibus plerumque morabantur priores et congregabantur consilia.

(4) Ad victoriam apud Campaldinum ex Aretinis et ghibellinis relatam magno adjumento fuit Vierius de Circulis.

(5) In *Reg. Vat.* 42, fol. 37 v° (4 oct. 1282) occurrunt mercatores : Catalanus Raynerii, Johannes Maynecti, Gerardinus et Consilius filii Oliverii de Circulis, Oliverius Torresiani, Bindus de Circulis, Bindus et Bertus Macii, Fulco Recoveri, Bernardus Manfredi, Marcus Scrofaldi, Boninus Philippi, Taldus Raynerii, Guido Vicedomini, Manfredus Oderici, Lapus Ranucini, Johannes de Circulis et Rainaldus Bonizi. — Cf. apud Emiliani Giudici, *Storia politica dei Municipi italiani*, IV, 231-240, duas epistolas a Consilio de Circulis sociis in Anglia morantibus scriptas; quæ cum sint utilissimæ perquirenti qua ratione mercatores Italici negotia gesserint, gratum etiam veteris Italicæ linguæ specimen præbent.

qui Spinorum apud curiam procurator erat, et Gerius Spinæ, vir callidissimus et papæ familiaris, ac gratissimus [1]. Bonifacius ergo Nigros contra Albos protegendos suscepit; cumque, instigantibus quibusdam Alborum fautoribus, Lapo scilicet Saltarelli, Bondone Gerardi et Lippo Ranutii, Florentini contra Simonem Gerardi, Cambium de Sexto procuratorem in audientia apostolica, et Noffum Quintavallis, processissent, eosdemque spretis pontificalibus mandatis condempnavissent, Bonifacius episcopo Florentino die 24 aprilis 1300 mandavit, ut concives ad revocandum processum compelleret [2]; eidem necnon et inquisitori hereticæ pravitatis in Tuscia die 15 maii iterum scripsit, ut Lapum, Bondonem et Lippum ad comparendum coram apostolica sede citarent [3]. Interea autem, crescente discordia, seditione Florentiæ calendis maii exorta, legatus a papa missus cardinalis de Acquasparta qui civitatem in tranquillum redigeret. Is tamen cum plus æquo Nigris faveret, ideoque Albis factus esset suspectus, nihil proficere potuit. Priores, ut materiam discordiæ tollerent, ambarum factionum principes in exsilium relegaverunt; mox autem, reversis in patriam Albis, tota civitas in eorum potestatem devenit. Conari ergo Bonifacius, ut Nigros restitueret; instigantibus Nigris, ac præsertim Spinis, Carolum Valesii comitem arcessivit, qui *paciarii* titulo Tusciam, imperii quidem nomine, sed ex arbitrio papæ regeret. Carolus cum mense novembris 1301 Florentiam intravisset, Nigros in civitatem reduxit, Albis expulsis; rursus autem immensam pecuniam a Spinis et Bardis mutuam accepit, qui eam jubente papa persolverunt [4]. Tanta igitur, tum Bonifacii, tum Nigrorum ac præsertim Spinorum in Tuscis rebus componendis concordia, ut in ambiguo sit, utrum plus mercatores cameræ pontifici, an pontifex mercatoribus profuerint.

(1) Cf. Johannem Villani, VIII, 42 : « *Elli* (messere Geri Spini) *e sua compagnia erano mercatanti di papa Bonifacio e del tutto guidatori.* » — Gerium Spinæ commemorat Boccaccius in *Decamerone*, VI, 2 : « *Bonifacio VIII, appo il quale Messer Geri Spina fù in grandissimo stato...* » — Cf. Dinum Compagni I, 21 (ed. del Lungo) : « *E erano con lui sua mercatanti gli Spini, ...e per loro stava là Simone Gherardi, uomo pratico in simile esercizio; e con lui era uno figliuolo di uno affinatore di ariento, fiorentino, si chiamava il Nero Cambi* [de eo cf. supra, p. 29] *uomo astuto e di sottile ingegno, ma crudo e spiacevole. Il quale tanto aopero col Papa per abbassare lo stato de' Cerchi e de' loro seguaci...* » — Simon Gerardi, Anagniæ apud curiam commorans tempore commissi contra Bonifacium facinoris, vix evasit (Cf. narrationem de rebus Anagniæ gestis, in *Revue des Questions Historiques*, XI, 515).

(2) Levi, *loc. cit.*, p. 450 (*Reg. Bon. VIII*, 3535).

(3) *Ibid.*, p. 455.

(4) Cf. infra cap. III.

Nec dubito, quin Bonifacius politicam ob causam Mozos partem Albam amplexos a servitio cameræ dimiserit; Bardos autem Nigræ partis sequaces et jampridem Mozis adversantes [1] ut cameræ mercatores adhibuerit.

Defuncto tamen Bonifacio, in ejus locum suffectus Benedictus XI, qui majori inter partes æquabilitate usus, quicquid a prædecessore intemperantius actum fuisset, emendare aggressus est [2]. Ne igitur, ut suspicor, nimii in Nigros studii suspectus haberetur, die 10 januarii 1304 Spinos ab officio mercatorum cameræ deposuit [3]; Bardis et Clarentinis in officio permanentibus die 8 novembris 1303 [4] Circulos adjunxerat Albos. Nam Circulorum societas, exeunte sæculo XIII [5], in duas divisa fuerat societates, Alborum aut Nigrorum nominibus nuncupatas. Postquam autem mos invaluit, ut Florentinæ factiones iisdem Alborum et Nigrorum vocabulis distinguerentur, singulari quadam diversitate (quæ ne in errorem inducat, cavendum), Circuli Nigri Albæ factionis strenuissimi et constantissimi fautores; Circuli Albi primum quidem gentilium partem secuti, mox tamen in gratiam Nigræ factionis reconciliati. Eos Bonifacius VIII die 25 martii 1303 episcopo Florentino commendaverat, ne « *prætextu aliorum de Circulis* » (Nigrorum scilicet Albæ parti adhærentium) vexarentur [6]; et diebus 7 et 8 augusti 1303, consilio Florentino visum est, ut *revocarentur a confinibus et tractarentur tanquam veri Guelfi* [7]. Inter eos Bonifacius Lapum de Circulis [8] cum filiis, ac filios quondam Gerardini et Consilii [9] et Nicolai de Circulis notaverat; nominantur in Benedicti XI epistolis [10], præter Lapum, Oliverius

(1) Del Lungo, *Dino Compagni*, I, 259.

(2) [Cf. Arias, *I banchieri toscani e la S. Sede sotto Benedetto XI* (*Arch. della Società Romana di storia patria*, 1901, 497).]

(3) *Reg. Clem. V*, 1152.

(4) *Reg. Clem. V*, 2271. — Tres societates insimul in *Reg. Ben. XI*, 1238 et 1243 nominantur. Baldus Raynerii de Floravantis, qui in *Reg. Ben. XI*, 378 mercator cameræ dicitur, socius erat Clarentum (cf. supra, p. 26).

(5) Cf. Del Lungo, *op. cit.*, II, 120. — Circuli Nigri etiam « *Cerchi Neri di Porta San Piero* » dicti; Circuli Albi « *Cerchi Bianchi dietro San Brocolo* » vel « *Cerchi Bianchi del Garbo.* » — Divisio Circulorum, quo ad mercaturam exercendam, post 1282 facta videtur (cf. supra, p. 33, n. 5); sed ante diem 13 sept. 1296 (Cf. Berti in *Giornale Storico degli Archivi Toscani*, 1857, p. 173).

(6) Levi, *loc. cit.*, p. 463.

(7) Del Lungo, *op. cit.*, II, p. 251.

(8) Idem ac Lapacius de Circulis Albis, de quo cf. Del Lungo, *op. cit.*, II, 120.

(9) De Gerardino et Consilio cf. supra, p. 33, n. 5.

(10) *Reg. Ben. XI*, 181, 534, 882, 1232.

de Circulis [1], Bonacursus Bonincontri, Naddus Gerardini de Circulis [2], Guido de Lantela [3]. Circuli Albi, utpote inter partes medium, ut ita dicam, locum obtinentes, aptissimi videbantur, qui Benedicto in restituenda pace adessent.

Benedictus ergo Nicolaum de Prato Ostiensem cardinalem Florentiam misit legatum et *paciarium*, qui icto fœdere Albos exulantes in patriam reduceret. Cardinalem moderatissimus quisque ac præsertim Circuli Albi adjuvabant; spe tamen pacis ob Nigrorum pertinaciam frustrata, infecto opere civitatem reliquit. Nova mox exorta seditio ; hinc Circuli Albi et alii qui cardinali faverant [4] ; illinc qui cardinali obstiterant, inter quos Spinos fuisse, nemo est qui miretur. Cujus factionis principes, inter quos Cursum de Donatis et Gerium Spinæ, papa ad curiam citavit ; cum forsitan in eo esset, ut contra Nigros procederet, morte fuit interceptus.

Clemens V post longum interregnum in pontificem electus, Italiam nunquam adivit, Italicis rebus parum intendit; mercatores ex utraque factione promiscue elegit. Dimissis, ut videtur, Clarentinis [5], Spinos iterum cameræ adscivit eisque una cum Circulis et Bardis usus est ; Florentiæ quidem discordibus, sed apud curiam apostolicam communis lucri causa unanimis.

Die 10 septembris 1306, Bardi [6], Spini [7] et Circuli [8] rationem de receptis et expensis camerario apostolico reddiderunt.

(1) Is certo diversus a Vierio (seu Oliverio) Torresiani Circuli, quem supra Circulorum Nigris adversantium principem fuisse diximus. Idem, ni fallor, erat ac Verius domini Consilii de Circulis, qui anno 1313 in articulo mortis habitum fratrum Prædicatorum adsumpsit, ut testatur instrumentum die 6 dec. rogatum, presentibus inter alios « *Richardo quondam Johannis domini Consilii de Circulis, Consillio quondam Jacobi nati olim dicti domini Consillii...* », et a del Lungo, *Dante ne' tempi di Dante*, p. 124, publici juris factum.

(2) An idem sit ac Naldus Gerardini, qui Albæ partis pertinacissimus fautor (cf. del Lungo, *Dino Compagni*, I, 178, 560; II, 212), dubito.

(3) Is commentarios quosdam de vita sua composuit (*Archivio Storico Italiano*, 1ª Serie, IV, p. 5; cf. supra, p. 13, n. 8) in quibus narrat :« *Ne l'anno MCCLXXXXVIII andai a dimorare chon Giovanni de' Cierchi e compagni, e chon lui dimorai insin a kalen di aprile MCCCI. Da loro mi parti per la brigha ove venneno cho' Donati e compagni...* » — De Johanne de Circulis Alborum fautore cf. supra, p. 33, n. 5 et del Lungo, *op. cit.*, I, 560.

(4) Joh. Villani, VIII, 71 : «... *la setta che tenea col cardinale, onde erano caporali Cavalcanti, e Gherardini, Pulci e Cierchi Bianchi del Garbo, ch'erano mercatanti di papa Benedetto...* »

(5) In registris Clementis nunquam ut mercatores papæ occurrunt.

(6) *Reg. Clem. V*, 1151.

(7) *Ibid.*, 1152.

(8) *Ibid.*, 2271.

Cameræ mercatorum nomen in registris Clementis postea nusquam legitur; quæ ad officium mercatorum pertinerent, ut infra ostendemus, cameræ clericis aut nuntiis apostolicis papa commisit.

Catalogum illorum, qui pro tempore mercaturam cameræ exercuerunt, legenti, non pauca occurrunt notatione digna.

Primum animadvertendum, summos pontifices semper Italicos mercatores, et, excepto Gregorio X (cui in animo fuit ut Placentinis concivibus faveret) Tuscos adhibuisse : Senenses scilicet, Lucanos, Florentinos, Pistorienses, exclusis tum Lombardis, tum Venetis, Januensibus aut (inter Tuscos) Pisanis, etsi Venetiæ, Janua, ac Pisæ plurimum opibus et mercatura pollerent. Nec mirum : Veneti enim, Januenses aut Pisani, portuum opportunitate freti et rebus nauticis intenti, mercaturam præcipue maritimam exercebant ; in ultramarinis et Orientalibus partibus præsertim negotiabantur ; ad magna Franciæ meridionalis emporia, Montempessulanum, Nemausum, Massiliam, persæpe accedebant ; rarius autem Mediterraneo mari relicto, ad Franciam septentrionalem, Angliam aut Flandriam pergebant (1) ; exempli gratia, inter mercatores qui nundinas Campaniæ celebrabant nonnunquam quidem, rarius tamen ceteris, occurrunt. Quapropter, cum cameræ apostolicæ pleraque negotia in Francia, Anglia aut Germania tractanda essent, ea aliarum civitatum mercatoribus committere solebat.

Sæpissime mercatores camera mutabat, ut ex iis quæ supra diximus manifestum est; iis autem mutationibus causa erat non tantum papæ aut camerarii voluntas (2), sed etiam societatum fluxa et mobilis constitutio; hoc enim quasi naturæ vitio præcipue laboravisse videntur mercatorum societates. Jam ostendimus, in societatibus nonnullis, vel discordia inter socios exorta, vel ob aliam quamlibet causam, secessionem factam fuisse : id, exempli gratia, societati Jacobi de Scala accidit, ex qua tum societas Scalorum, tum societas Thomæ Spiliati et Hugonis Spinæ originem traxerant; ista postmodum in Spinos et Mozos divisa. Adjungendum non paucas mercatorum societates, quæ sæculo XIII floruerant, exeunte sæculo vel ineunte XIV decidisse et collapsas fuisse (3). Inter eas

(1) Schaube, *Handelsgeschichte der Romanischen Völker.*

(2) Sæpius inter cameram et mercatores jurgia oriebantur, ut ex eis patet quæ defuncto Alexandro IV acciderunt (cf. supra) [cf. etiam Jordan, *La faillite des Buonsignori*, in *Mélanges Fabre*.]

(3) Praeter Bonsignores et Riccardos, constat collapsos esse Ammannatos Pistorienses, Bettos et Cardellinos Lucanos, Pulices et Rimbertinos, Franciscos, Frescobaldos, paucis post annis etiam Scalos, necnon et Bardos ac Perutios. [Schneider, *Die finanziellen Beziehungen der florentinischen Bankiers zur Kirche*, 72].

societates potissimum commemorandas censuimus Riccardos et Bonsignores; quorum ruinæ quænam causæ adfuerint, documentis cognoscere licet.

De Riccardorum casu nos edocent Bonifacii VIII litteræ. Teste Bonifacio, in epistola die 8 junii 1300 data (1), quamplures societatis Riccardorum socii et factores, « *minus fideliter se gerentes* » pecuniam societati substractam se reddituros negabant: quamvis magistratus, consilium et commune Lucani, « *ex benivolentie specialis affectu* », quo societatem prosequebantur eamdem, quosdam de consensu partium arbitros elegissent, qui de substractione hujusmodi diligenter inquirerent veritatem. Labro Vulpelli, Henrico de Podio ac Riccardino Goctori, ejusdem societatis sociis, supplicantibus, papa episcopo Pistoriensi mandavit, ut eos, quos arbitri condemnaverint, ad restitutionem per censuram ecclesiasticam compelleret. Quibusdam vero propositum quidem erat restituendi, facultates vero deficiebant; nec, bonis venditis, pecuniam sibi comparare poterant; nam « *quia tam ipsorum quam aliorum sociorum societatis ejusdem possessiones et bona omnia pro certis pecuniarum summis in quibus memorata societas camere Romane Ecclesie* », tenebatur, obligata erant apostolicæ sedi, nemo aderat, qui bona emeret. Quamobrem papa priori Sancti Fridiani Lucani concessit facultatem « *prestandi apostolica auctoritate consensum, et interponendi decretum, prout expedire videbitur, in venditionibus possessionum et bonorum ipsorum, ac concedendi super hoc plenariam potestatem hiis qui possessiones et bona ipsa, vel eorum partem quamlibet, emere voluerint, ac alia etiam omnia faciendi que de jure facienda fuerint in hac parte ; ac insuper deponendi ejusdem camere nomine in aliquo tuto loco totam pecuniam quam de possessionibus et bonis eisdem huiusmodi occasione vendendis ab eorum emptoribus contigerit exhiberi* (2) ». Idem Bonifacius anno 1301 episcopo Lucano commisit, ut bona Labri Vulpelli defuncti ad opus cameræ colligeret (3). Regnante tamen Clemente V, nondum cameræ satisfactum erat ; qui papa res et bona Riccardorum in Anglia consistentia capi mandavit, et pecuniam quæ eis deberetur cameræ nomine exigi (4).

(1) *Reg. Bon. VIII*, 3628.

(2) *Reg. Bon. VIII*, 3630 (8 junii 1300).

(3) Cf. in *Reg. Clem. V*, App. I, p. 354, fragmentum rationis quo apparet episcopum Lucanum, detractis expensis, 274 florenos debuisse cameræ de bonis Labri Vulpelli quæ annis 1301 et 1302 collegerat.

(4) *Reg. Clem. V*, 2294-2296.

Aliquanto ante, Majoris Tabulæ Senensis immutata fortuna, concussa soliditas. Die jam 9 augusti 1298, quidam societatis Bonsignorum socii petitionem « *dominis novem gubernatoribus et defensoribus communis et populi Senensis* » porrexerunt ; quam, utpote notatione haud indignam, fusius exponemus (1). Plurimum laudata societate, quæ « *inter alias societates Tuscie, Lombardie ac etiam totius mundi* » fuit « *honorabilior omnibus aliis et magis nominata, et cui major fides fuit adhibita a Romanis pontificibus, a cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliarum ecclesiarum prelatis, a regibus, baronibus, comitibus, mercatoribus et aliis hominibus cujuscumque conditionis sint, etiam utilis, immo utilissima communi Senensi in Romana curia et ultra montes et citra montes et ambassatoribus communis Senensis ad expeditionem negotiorum pro quibus mictebantur* (2), *et etiam pro subventione pecunie tam pro ipsis negotiis expediendis, quam pro eorum expensis* »; ita quod socii Majoris Tabulæ « *multos honores et utilitates procuraverunt communi Senensi, mercatoribus et hominibus civitatis Senensis* » ; conquesti sunt petitores, quod discordia inter eosdem socios nata, instigantibus etiam nonnullis Senensibus civibus, omnes Majoris Tabulæ creditores debita simul repeterent; nemini adhuc societatem restitutionem negavisse, immo ad hanc diem omnibus satisfecisse et ducenta millia florenorum auri persolvisse ; cum autem pecunia, quæ ipsi societati in diversis mundi partibus deberetur, recuperari una hora non posset, timendum ne deficeret, non impotentia, sed inimicorum et æmulorum odiis devicta. Tria ergo petitores a consilio Senarum requirebant : 1° Ut qui creditores ad repetenda debita inducebant, removerentur, quod facile fieri posset, si provideretur ut « *nullus de dicta societate ad solutionem debitorum dicte societatis possit vel debeat compelli...... ultra sive pro parte majori sibi contingente...* » ; 2° Ut concederetur sociis Majoris Tabulæ congrua dilatio, ad ea colligenda quæ sibi deberentur. 3° Ut mitterentur ambasciatores qui papæ prædictam societatem commendarent, eumque rogarent, ut interpositis partibus apud creditores et maxime apud « *illos qui sunt in curia* », dilationem Majori Tabulæ concedi mandaret. Sese etiam petitores obtulerunt paratos, ut quicquid de bonis societatis haberent vel colligerent, bonis hominibus a consulibus mercantiæ Senarum electis, assignarent.

(1) Exstat in Tabulario Senensi, *Consiglio Generale*, LIV, fol. 45. — Hujus etiam meminit Tommasi, *Istoria di Siena*, II, 141.

(2) Cf. supra, p. 11 et 21.

Consilium dominos novem et consules mercantie procurare jussit, ut pax inter prefatos socios restitueretur. Die vero 31 decembris 1298, cum idem socii in potestatem et quosdam mercatores Senenses compromisissent, domini novem decreverunt, ut quicumque ex iis arbitrium ferendum non observavisset, in pœnam 500 librarum caderet; utque potestas Senensis omnes factores et rerum gestores Majoris Tabulæ, ut rationem redderent, compellere deberet [1]. Quid inde factum fuerit, non liquet; constat tamen, Bonifacium VIII socios de societate Bonsignorum convocavisse, ut societatem repararent; frustra quidem, cum paucos post annos Major Tabula solvendo impar fuerit. Anno enim 1307 Clemens V ut Riccardorum, sic et Bonsignorum bona in Anglia sequestrari mandavit, pecuniamque ipsis debitam ad opus cameræ apostolicæ exigi [2]. Eodem anno, die 5 julii, Philippus IV rex Franciæ potestatem, capitaneum, novem rectores ac consules mercantiæ civitatis Senensis rogavit, ut « *cum mercatores societatis Magne Tabule nobis ex certa et legitima causa in quinquaginta quattuor milibus libris parvorum bonorum Turonensium teneantur, ipsique una cum bonis suis fraudulenter et ex precogitata malicia, nobis ingnorantibus, exierint reingnum nostrum, nulla debiti nostri predicti satisfactione nobis aut gentibus nostris facta* », compellerent « *mercatores ipsos ac singulos societatis ejusdem per corporis et bonorum suorum capcionem ipsorumque explectacionem bonorum, ubicumque in vestris et vobis submissis potestatibus valeant inveniri, ad satisfaciendum nobis integre de debito supradicto* [3] ». Quibus litteris in consilio Senensi perlectis, « *ad conservandam gratiam dicti domini regis et pro salute et salvamento mercatorum civitatis Senensis qui habent facere in dicto reingno Francie* » electi sunt qui de negotio providerent [4]. Rex tamen Franciæ, cum sibi nulla satisfactio impensa fuisset, Senenses in Francia morantes, obsidum loco, capi mandavit. Exstat ergo in Tabulario Senensi [5] instrumentum cujusdam deliberationis consilii generalis Campanæ civitatis Senensis, « *quod cum mercantia civitatis Senensis in regno Francie gravem presuram et grande dampnum receperit occasione contractuum et debitorum societatis et sociorum Magne Tabule Bonsignorum de*

(1) Tab. Senense, *Cons. Gen.*, LIV, fol. 89 v°.
(2) *Reg. Clem. V*, 2296.
(3) Langlois, *Notices et Documents relatifs à l'histoire de France*, in *Revue Historique*, LX, 317.
(4) *Ibid.*, n. 2.
(5) *Riformagioni*, 2 februarii 1308.

Senis, qui in ipsis obligati fuerunt jam sunt viginti annis et plus, quia de dicto regno cum pecunia et avere dicti regis Francie se turpiter cessaverunt, ob quam causam prefatus dominus rex capi et incarcerari fecit omnes cives et mercatores Senenses quos ibi facere potuit inveniri, in quibus longo tempore carcerati steterunt, nec exinde potuerunt exire, nisi primitus plenam securitatem prestarent, quam prestiterunt, sicut notorium est in civitate Senensi, de solvenda dicta pecunia regis videlicet LIV[M] *librarum bonorum Turonensium vel de illa moneta que laudata fuerit per certos officiales dicti domini regis ad ea positos, et quibus commissum est negotium suprascriptum, in qua dicta societas et socii Magne Tabule Bonsignorum obligati erant dicto domino regi; de qua summa jam solverunt mercatores predicti X*[M] *librarum bonorum Turonensium et sunt ad solvendum reliqua in variis satis brevibus terminis obligati »;* decrevit consilium, ut mercatoribus qui prædictam pecuniam solvissent vel solverint satisfieret de bonis sociorum tam vivorum quam defunctorum societatis Majoris Tabulæ; quæ bona consules mercantiæ possent et deberent capere et vendere. Hic tantæ societatis exitus (1) !

Mozos quoque, postquam Bonifacio VIII regnante servitium cameræ reliquerant, collapsos fuisse constat; quanquam de eorum ruina pauca tantum comperta habeamus. Nam v. cl. Peruzzi ex libris Giotti Perutii Florentini mercatoris publici juris fecit documentum, quo patet, prædictum Giottum una cum fratribus anno 1310 quasdam possessiones emisse a sindicis ad bona Mozorum vendenda deputatis (2). Jam antea, Clemens V nuntiis suis in Anglia, Francia et Hibernia, necnon et Ebredunensi archiepiscopo mandaverat, ut pecuniam Mozis debitam sequestrarent; quod mandatum (postquam, ut arbitror, cameræ satisfactum fuerat), die 30 junii revocavit (3).

Riccardorum et Bonsignorum (4) exemplo patet, quanta sollicitudine, tum Italicæ civitates, tum summi pontifices, mercatorum societates observarent; quanta diligentia labantibus, si qua remedii via pateret, opem præberent, lapsarum autem negotia gerenda susciperent, bona administrarent et colligerent, suam denique et

(1) [De lite heredibus Bonsignorum a Clemente VI anno 1344 illata, cf. Arias, *Studi e documenti di storia del diritto*, et Jordan, *La Faillite des Buonsignori*, in *Mélanges Fabre*.]

(2) Peruzzi, *Storia del commercio e dei banchieri di Firenze*, Appendice, p. 56 et seq.

(3) *Reg. Clem. V*, 4367-4369.

(4) Adjice, quod infra de Ammanatis dicemus.

aliorum etiam creditorum utilitatem tuerentur. Nec mirum ; cum nullus esset Italicus, qui non intelligeret, quanti uniuscujusque civitatis interesset, suam mercatorum societates opulentiam servare; papæ vero tum ipsi persæpe magnas pecuniæ summas mercatoribus, depositi nomine, commendaverant, et ipsi præcipui mercatorum erant creditores ; tum etiam curialium indemnitati (quibus tot cum mercatoribus transacta negotia) cavere cupiebant.

Causas inquirenti cur temporis spatio tam exiguo tot et tantæ societates sint collapsæ, haud parum lucis affert quod Bonifacius VIII Philippo IV regi Franciæ scribebat : « *Regiam tamen volumus non latere notitiam quod occasione guerre inter te et predictum regem Anglie exorte, inundantibus insuper undique in ipsius terris Ecclesie ac maxime in Sicilie regno aliisque locis et partibus inter renatos sacri fonte baptismatis gravissimis guerrarum dissidiis et fluctuationibus tempestatum, adeo mercationes predicte* (id est societatis Pulicum et Rimbertinorum) *et aliarum societatum, necnon et alii qui curiam nostram sequuntur, mole penurie ac debitorum onere pregravantur, quod debitores fere deficiunt et creditores possunt rarius inveniri* (1) ». Non dubitandum, quin longa et acerrima bella, quibus quatuor ultima sæculi XIII lustra perturbata fuere, plurimum commercio nocuerint; cum præsertim, eorumdem bellorum occasione, nundinæ Campaniæ, quæ tanto cleruerant mercatorum concursu, sæculo XIII exeunte jam defloruerint, sæculo XIV collapsuræ (2). Huc accedunt regum Angliæ et Franciæ edicta, qui, usurarum vel proditionum prætextu, mercatorum personas et res capi mandabant, gravia eisdem imponebant tributa (3), monetam adulterabant, prohibebant, ne aurum et argentum e regno exportarentur, denique multimodis negotiationes impediebant. Romani quoque pontifices, etsi plerumque mercatoribus faverent, interdum tamen sese eorum negotiis temere immiscentes, contractaque inter eos et ecclesias aut ecclesiasticas personas pacta dirimentes, magnum eis attulerunt detrimentum. Sic anno 1295 Bonifacius VIII abbati Cluniacensi terminum solutionis debitorum, quibus societati Bonsignorum obligatus erat, usque ad triennium prorogavit (4). Hic, ut vehementer suspicor, agitur de 40.800 libris Turonensium quibus,

(1) *Reg. Bon. VIII*, 1225.

(2) Cf. Bourquelot, *Etude sur les foires de Champagne*, I, 190; II, 301 et seq.

(3) Cf. supra, p. 27 ; Langlois, *Le Règne de Philippe III le Hardi*, p. 345 ; Boutaric, *La France sous Philippe le Bel*.

(4) *Reg. Bon. VIII*, 293.

teste Nicolao IV [1], Guillelmus abbas et conventus Cluniacenses anno 1291 recognoverant se eidem societati teneri ; tanti debiti solvendi procrastinatione debitoribus concessa graviter læsos fuisse Bonsignores (quorum res paulo post impeditas fuisse jam ostendimus), nemo est qui miretur.

Id quoque adjiciendum, eïs scilicet societatibus suæ ipsius constitutionis vitio quodam plerumque insitam fuisse instabilitatis et fragilitatis labem [2]. Societates enim pleræque ad tempus certum et id quidem non longissimum ita constitutæ erant, ut si res prospere successissent ad diem alteram ulterius statutam renovarentur. Pecuniæ communis suam singuli socii partem afferebant et pro rata parte vel lucris proficiebant vel damnis laborabant. Societate perdurante, nulli sociorum partem aut recuperare, aut alicui vendere vel tradere licebat; nec seorsum et pro se negotiari. Multa sunt igitur nec parvi momenti quibus inter se discrepent, hinc ejusmodi partes, illinc eæ quæ ætate nostra usitatissimæ Gallico sermone dicuntur *actions*. Nostris enim in societatibus suam socii et partes vendendi tradendive, et alia quævis negotia seorsum gerendi libertatem integram retinent, nisi quædam aut sociis cunctis aut iis tantummodo qui ceteros regant ipso societatis pacto, quod raro evenit, verbis expressis prohibita fuerint. Ab ea sociorum nostrorum infinita libertate longe abhorret Medii Ævi sociorum conditio, qui vinculis arctissimis inter se obligati erant. Inde necesse erat, ut quam maxima unitas servaretur ; interdum in ipso societatis pacto statuebatur, negotia unanimi omnium consensu esse tractanda; interdum pauci eligebantur, qui societati præessent, cuncta per se, reliquis inconsultis, administraturi. Facile intelligitur, vel minimam dissensionem in discordiam crevisse; hinc causa manifesta est, cur nonnullæ societates sese diviserint. Hinc etiam jurgia et lites, quæ Bonsignorum et Riccardorum ruinam effecerunt. Adjungendum Italicos mercatores magno suo periculo negotia gessisse ; cum, ut exemplo Bonsignorum patet, immensas pecuniæ summas in depositum accipe-

(1) *Reg. Nic. IV*, 5758.

(2) Cf. pactorum exempla quæ præbet Peruzzi, *Storia del commercio e dei banchieri di Firenze*, p. 231 seq., ac præsertim pactum societatis Alberti Judicis (p. 240). — Cf. etiam instrumentum divisionis societatis die 22 januarii 1273 inter Restaurum et Guidonem Junctæ ex parte una, Bonsignores ex altera factæ; ita ut Restaurus et Guido in posterum *negotiari pro se* possent (Tab. Sen. *Archivio Generale)*; [necnon et instrumentum quo mercatores de societate Riccardorum duos ipsius societatis socios procuratores constituunt ad deposita recipienda; Arias, *Studi e documenti di storia del diritto*, 157] — Cf. Goldschmidt, *Handbuch des Handelsrechts*, I, 271 et seq. et Weber, *Zur Geschichte der Handelsgesellschaften im Mittelalter.*

rent [1]; quas ut exercerent, in fœnore ponebant, non sine longa mora magnisque difficultatibus recuperandas; ita ut, si creditores uno eodemque tempore credita repeterent, necesse esset, ut foro cederent. Nec suam quisque tantum partem discrimini dabat; uniuscujusque bona societati obligata; omnes participes societatis creditoribus in solidum cum omnibus bonis erant obnoxii [2]; si res minus prospere successissent, sociorum fortuna penitus dilapsa.

Hæc pauca quasi oblata ultro opportunitate allecti retulimus; attamen consilio nostro alienum est de societatibus Lombardorum fusius diligentiusque disserere; quæ quidem materia librum integrum sibi reposceret [3]. Inceptum igitur argumentum repetimus, quodnam fuerit mercatorum cameræ officium, quæsituri.

(1) De depositis apud mercatores factis cf. Goldschmidt, *Handbuch des Handelsrechts*, I, 319 et seq.
(2) Cf. supra, p. 39.
(3) [De societatum indole cf. etiam Davidsohn, *Geschichte von Florenz*, II, 2ª *pars*, 412-414.]

II

De Mercatorum Cameræ officio.

Hæc præcipue mercatoribus cameræ committebatur provincia, ut pecuniam vel a camera vel ad cameram apostolicam transmitterent ; tributa Sanctæ Sedi debita exigerent; si quid solvendum esset, erogarent. Ea præsertim mente pontifices primum cum argentariis consuetudinem fecerunt, ut talem operam ab eis acciperent; ut apparet ex iis quæ supra de Honorio III et Gregorio IX diximus.

Id autem explanationem nonnullam requirere videtur.

Sæculo XIII, nata jam, etsi nondum ad ultimos terminos provecta illa fiscalitate, de qua Avinionenses papæ objurgari solent (1), pecunia multa undique ad cameram apostolicam confluebat ; diversa autem erant proventuum genera. Inter quæ præcipue notanda judicavimus :

1° Census, quorum ut varia origo, ita omnino impar æstimatio; ab ecclesiis, monasteriis, regnis aut dominis soluti, et in Libro Censuum conscripti ; quibus adjungendus denarius Beati Petri, in Anglia, Polonia, Dacia, Suetia et Norwegia collectus (2).

2° Proventus provinciarum et civitatum in jure et dominio Ecclesiæ Romanæ consistentium.

3° *Servitia communia*, id est tributa ab archiepiscopis, episcopis aut abbatibus, cum a papa nominarentur aut confirmarentur, soluta (3).

4° *Visitationes* quæ a quibusdam archiepiscopis aut abbatibus, statutis temporibus sedem apostolicam visitantibus, solvebantur (4).

(1) Cf. Fabre, *Etude sur le Liber Censuum*, p. 167.
(2) De iis cf. Fabre, *op. cit.*
(3) De servitiis cf. Kirsch, *Die Finanzverwaltung des Kardinalcollegiums im XIII und XIV Jahrhundert*, p. 5 seq. [cf. etiam Gottlob, *Die Servitientaxe im 13 Jahrhundert.*]
(4) Cf. Kirsch, *loc. cit.*

5° Proventus extraordinarii, ut confiscationes, legata, bona episcoporum qui apud curiam intestato decessissent.

Decimarum autem, quæ aut Terræ Sanctæ vel imperii Constantinopolitani subsidio, aut eis bellis gerendis impenderentur quorum causa crucem prædicari pontifex jussisset, rationem inter cameræ apostolicæ proventus habendam non censeo. Non enim papæ, sed totius erant Ecclesiæ ; nec aliud juris in eis summo pontifici competebat, quam ut percipiendi subsidii tempus, ratam, terminos indiceret, collectores institueret, eorumque audiret rationes, deque collecta pecunia, ad certum tamen finem, disponeret, sive per se, sive crucesignatis principibus sui cuique regni decimas assignando. Sæpe quidem ac præsertim exeunte seculo XIII, iidem collectores tum cameræ apostolicæ proventus, tum decimas exigebant; nec me fugit, aliquando pecuniam crucis negotio deputatam a Romanis pontificibus, urgente necessitate, evacuata camera, fuisse usurpatam ; aut exeunte XIII sæc., ineunte XIV, decimas « *pro necessitatibus Romanæ Ecclesiæ* » ad opus cameræ impositas fuisse. Consultius tamen videtur ut de decimis suo speciali loco, hic autem de iis tantum proventibus disseramus, qui ad cameram pleno jure spectabant.

Hoc primum animadvertendum, pleraque tributa, quæ camera apostolica percipiebat, ea lege imposita fuisse, ut apud curiam solverentur, mittendæ autem vel deferendæ pecuniæ onus solventibus incumberet. Cencius camerarius profitetur se Librum Censuum Ecclesiæ Romanæ composuisse, « *ut si quandoque, quod sepe contingit, a quibus debentur census ipsi per proprios nuntios ad apostolicam sedem non fuerint destinati, ille qui Romane Ecclesie tunc temporis pontifex preerit... ab illis qui non persolverunt... census ipsos repetere valeat* [1] ». Census ergo apud curiam solvendi erant et nonnunquam solvebantur, quanquam, testantibus tum Cencio, tum innumeris pontificum litteris, sæpissime tardi aut negligentes fuerint debitores. Ceterum ut census quidam apud curiam expenderentur, expresse cautum erat. Carolus Andegavensis censum 8000 unciarum auri ratione regni Siciliæ debitum quotannis in festo beati Petri « *ubicumque Romanus pontifex fuerit* » se soluturum pollicitus est [2]. Idem pactum fuit de censu 3000 unciarum auri quem Fridericus de Aragonia, regno Trinacriæ creato, promiserat [3].

(1) Ed. Fabre, p. 4. — Cf. Fabre, *Etude sur le Liber Censuum*, p. 150, 151, 158.
(2) P. 19038. — Hanc conditionem, utpote nimis gravem, immutari Carolus poposcerat; quod tamen papa denegavit (cf. P. 18773).
(3) *Reg. Ben. XI*, 1239.

Communia quoque servitia apud curiam fuisse solvenda testatur registrum in Tabulario Vaticano asservatum, quod inscriptum est . *Obligationes et Solutiones servitiorum communium* (1). In promissionibus enim permultis leguntur verba : *solvenda in Romana curia;* illaque ubi desint esse supplenda persuasum habeo. In folio quidem quinto reperitur obligatio episcopi Suessionensis, promittentis se 2000 florenorum auri soluturum « *in Romana curia vel Parisius alicui societati camere domini pape* » ; quæ tamen formula semel tantum occurrere videtur.

Visitationes denique a prelatis occasione et tempore *visitationis ad limina* solvendas fuisse, nemo est qui dubitet.

Profecto iis, qui pecuniam cameræ ultro exhiberent, licebat, ut ea quam elegissent solvendi ratione uterentur. Exempli gratia, censum regni Siciliæ diversissimis viis solutum fuisse, ex documentis apparet. Interdum rex Siciliæ officialibus mandabat, ut pecuniam ad Romanam curiam deferrent (2) ; interdum autem mercatorum adhibebat operam. Anno 1270 Francisco Guidi mandavit, ut accepta pecunia, quam Pisana civitas, icto nuper fædere, regi pro satisfactione illatarum injuriarum promisisset, censum Ecclesiæ debitum persolveret. Cum autem Pisani pactum rupissent, Franciscus sponte de proprio pecuniam commodavit (3).

Anno 1275, Gregorio X Lugduni commorante, thesaurarius Caroli I cum Francisci Guidi sociis conventionem iniit; 8000 unciarum auri mercatoribus apud Romam tradenda, qui de censu Lugduni satisfacerent, apocham a camerario pontificio receptam regi reportaturi (4). Interdum etiam ipsa camera debitam pecuniam

(1) Tab. Vatic., *Obligationes*, nº 1 (quondam *Collectoriæ*, nº 313). Hujus codicis, qui obligationes et solutiones prælatorum a 1295 ad 1316 continet, partem quæ ad pontificatum Clementis V attinet, editores registri Clementis quinti in primo Appendicis volumine publici juris fecerunt. Partium autem ejusdem codicis, quæ ad Bonifacii VIII et Benedicti tempora pertinent, transcriptiones mihi summa cum liberalitate commodaverunt vv. cl. Digard et Grandjean, Gallicæ in Urbe scholæ olim socii; quibus hic grates agere juvat.

(2) P. 20166. — Cf. *Reg. Clem. V*, 722, 795. — Cf. Del Giudice, *Codice Diplomatico del regno di Carlo I e II d'Angiò*, I, p. 176 (Carolus I anno 1280 Guillelmo Standardo injungit, ut « *de pecunia thesauri nostri que in Castro Ovi servatur* » 8000 unciarum auri sumat et ad curiam deferat; eodem tempore Philippo de Lagonessa præceptum fuit, ut « *pro securo conductu ipsius pecunie* » sexaginta stipendiarios Guillelmo comites mitteret); p. 177 (rex thesaurariis scribit, ut Lodoyco de Montibus « *octo millia unciarum pro solvendo censu* » exhibeant, necnon et « *pecuniam necessariam pro loerio bestiarum que deferent ipsam pecuniam ad curiam Romanam.* »

(3) Tab. Neapolit., *Reg. Ang.*, XI, fol 79, 90, 92 vº, 98 vº, et XIII, fol. 54.

(4) Tab. Vatic., *Miscellanea*, caps. 1250-1275 (10 martii 1275). — Cf. Del Giudice, *op. cit.*, p. 177.

exigebat. Honorius IV anno 1285 concessionem quamdam Martini IV iterans, decimam ecclesiasticorum proventuum in Italia per triennium percipiendam in subsidium regni Siciliæ concessit [1]. Vacante autem post Honorii mortem apostolica sede, cardinales, existimantes, ut videtur, nihil regno utilius, nihil urgentius imminere, quam ut census Ecclesie debitus solveretur, a tribus societatibus mercatorum cameræ, scilicet Bonaventuræ Bernardini, Thomæ Spiliati et Riccardorum, 16000 unciarum auri pro censibus annorum 1286 et 1287 sibi exhiberi mandaverunt; iisdem mercatoribus concedentes, ut prædictam pecuniam de proventibus collectæ vel colligendæ decimæ retinerent [2]. Sequentibus annis, census vel imperfecte vel minime persolutus est, cum ineunte seculo XIV, Carolus II sedi apostolicæ 93340 uncias auri deberet [3]. Ab anno 1305, singulis annis censum solutum fuisse documentis constat; non unicus tamen solvendi modus. Anno 1305, officiales Caroli II, Riccardus de Comite et Rogerius de Siracusa, apud curiam a Perutiis 4000 unciarum auri, a Bardis 3200, a Spinis 800 mutuo acceperunt [4]. Anno 1307, rex per procuratores speciales [5], 1308 per Perutios [6], 1309 per Bardos [7], a 1310 ad 1313 per procuratores [8], de censu satisfecit.

Fredericus, rex Trinacriæ, plerumque in censu solvendo mercatoribus utebatur; et quidem, primis regni temporibus, Bardis [9]; anno 1308, societate dominorum Isembardi et Guillelmi de Camprimoldo, Placentinorum [10]; anno 1309, Mozis [11]; anno 1310,

(1) *Reg. Hon. IV*, 12.

(2) *Reg. Nic. IV*, 105. — Cf. *Ibid.*, 96-100.

(3) Hoc debitum jam commemoratur in epistola Bonifacii VIII die 29 junii 1303 data (*Reg. Vat.* 50, fol. 385), qua pontifex regi Siciliæ terminum solutionis a 29 junii 1303 ad 29 junii 1304 prorogat. — Nondum tamen, tempore quo Clemens V in pontificem fuit electus, quicquam persolverat Carolus. Die 24 julii 1307 cum Clemente conventionem iniit, qua promittebat, se certis terminis cameræ satisfacturum esse (*Reg. Clem. V*, 2270). Sese tamen a curia læsum fuisse contendebat (cf. Caroli II et Roberti I protestationes apud del Giudice, *op. cit.*, p. 178-179). — Nihilominus eum debita statutis temporibus solvisse testantur quietationes a Clemente concessæ (*Reg. Clem. V*, App. I, p. 300 et nº 5506-7, 7246-7, 8680-1, 9783-4).

(4) *Reg. Clem. V*, App. I, p. 267.

(5) *Reg. Clem. V*, 2258.

(6) *Ibid.*, 2947.

(7) *Ibid.*, 4589 et App. I, p. 300.

(8) *Ibid.*, App. I, p. 315 et 5506-7, 7246-7, 8680-1, 9783-4.

(9) Annis 1304 (*Reg. Ben. XI*, 1279), 1305 (*Reg. Clem. V*, App. I, p. 262), 1306 (*Ibid.*, p. 276).

(10) *Ibid.*, p. 277.

(11) *Ibid.*, p. 315.

societate Azeolorum de Florentia [1]; ultimis denique Clementis V annis, mercatoribus quibusdam Sicilianis aut Tuscis [2].

Eodem modo, ceteri cameræ debitores nunc pecuniam ipsi ad curiam deferunt aut per procuratores mittunt; nunc mercatorum operam adhibent quibus cameræ apostolicæ soluturis pecuniam tradebant. Episcopus Ratisponensis, nomine monachorum Oberaltahensium, censum ab eis pro viginti octo annis debitum cameræ persolvit [3]. Bertrandus, Cluniacensis abbas, cum pro communi servitio 4000 librarum Turonensium promisisset, partem ipse Hugoni, episcopo Ostiensi, tunc camerario tradidit; de residuo per procuratorem, fratrem Hugonem, satisfecit [4]. Ex registro *Obligationum et Solutionum communium servitiorum* n° 1 patet prælatos, Bonifacio VIII et Benedicto XI regnantibus, sæpe, Clementis V tempore, plerumque per procuratores servitia persolvisse [5].

Econtra, Alfonsus, rex Castellæ, pecuniam Alexandro IV debitam Jacobo Giberti et Raynerio Berindotis commiserat solvendam [6]. In registro [7] *Obligationum* n° 1 A, plurima occurrunt exempla, tempore Bonifacii VIII et Benedicti XI, solutionum Sacro Collegio per mercatores factarum. « *Anno Domini MCCXCVI die sexta* [februarii] *circa festum Purificationis beate Virginis, solvit episcopus Nivernensis per manus dictorum mercatorum Clarentinorum...... MC florenos auri......* [8] ». — « *Item in Dominica qua cantatur Letare Jerusalem ejusdem anni solvit archiepiscopus Bituricensis per manus Lapi Chini mercatoris de societate de*

(1) *Ibid.*, p. 323. Azeolei *mercatores regis* dicuntur.

(2) Anno 1312, Simon Salvagii de Siracusa et Butinus Johannis de Messana (*ibid.*, p. 332). — Anno 1313 Vincius de Vico de Messana et Latinus Bernardi de Panormo (*ibid.*, p. 340). — Anno 1316 : Latinus Bernardi et Baronus Guidi de Sancto Miniato (*ibid.*, p. 346). — Butinus Johannis et Latinus Bernardi mercatores regis vocantur.

(3) Fabre, *Etude sur le Liber Censuum*, p. 167.

(4) Cf. quietantiam a Roberto cardinali tituli Sanctæ Pudentianæ, camerario apostolico, Bertrando concessam (Bibl. Paris., *Coll. Baluze*, 389).

(5) *Reg. Clem. V*, App. I. — Cf. Kirsch, *Die Finanzverwaltung*, etc., p. 54.

(6) *Reg. Vat.* 27, fol. 142 v° (cf. supra, p. 16, n. 5).

(7) Liber in Tab. Vaticano asservatus, cui titulus *Obligationes* 1 A (quondam *Introitus et Exitus*, 601) continet solutiones communium servitiorum a prælatis 1295-1304 factas, pro parte Sacrum Collegium contingente, necnon et divisiones inter cardinales. Ejus quoque transcriptionem mihi commodaverunt vv. cl. Digard, quoad Bonifacii VIII, Grandjean, quoad Benedicti XI tempora. — Kirsch, *Die Finanzverwaltung*, etc., p. 96, solutiones et divisiones a 1295 ad 1298 edidit; ad fidem vero codicis *Vatic. latini* 3457 sæculo XVI exarati, qui cum libro *Obligationum* 1 A non omnino constat.

(8) Fol. 2. Cf. Kirsch, *loc. cit.*, p. 110.

Scala MC libras Turonensium pro collegio... (1) ». — « *Item in festo Apostolorum Petri et Pauli solvit Balducius mercator de dicta societate* [Clarentinorum] *pro... archiepiscopo Patracensi Vc florenos auri......* (2) ». Eodem modo, apostolica sede post obitum Benedicti XI vacante, Robertus episcopus Elyensis MCC florenos per manus Spinorum, tempore autem Clementis V archiepiscopus Montisregalis sex millia florenorum, Bardorum opera, cameræ transmiserunt (3).

Tum præcipue mercatoribus utebantur prælati, cum facultates solvendis censibus aut servitiis minime sufficerent (4) ; mercatores, monasterii aut ecclesiæ bonis pignori acceptis, cameræ satisfaciebant. Interdum etiam prælati, si pecuniæ summam, quam extemplo, deficientibus facultatibus, exhibere non valuissent, se certo termino soluturos esse promitterent, quo melius cameræ apostolicæ caveretur, mercatores sibi subrogabant, duplici contractu intercedente, altero quo mercatores camerario apostolico, altero quo prælatus mercatoribus sese obligabant.

Talium pactorum liber *Obligationum* n° 1 nonnulla exempla præbet ; quorum pauca referemus « *Die XVII mensis augusti ejusdem anni* [*1295*], *Medicus Aliocti de societate Spinorum de Florentia promisit pro episcopo Famagustano ad kalendas maii proxime venturas pro communi servitio pape et collegii cardinalium MCCLVII florenos auri et V solidos......* (5) ». — « *Die XII mensis julii* [*1300*] *episcopus Burgensis promisit pro communi servicio pape et collegii XVI cardinalium per Symonem de Spina mercatorem de societate Spinorum de Florentia MCC libras Turonensium...... solvendo ad festum Nativitatis beati Johannis Baptiste proxime venturum. Prefatus autem Symon et ejus societas de solvendo dicta servitia in eodem termino sunt ex causa depositi principaliter obligati* (6) ». — « *Eodem die* [24 mensis augusti 1301]

(1) Fol. 2 v°; cf. Kirsch, p. 112.
(2) Fol. 4 v°; cf. Kirsch, p. 116.
(3) *Reg. Clem. V*, App. I, pp. 261 et 276.
(4) Ut unum tantummodo exemplum afferamus, die 30 oct. 1262 electus Auxitanus, coram decano Senensi tunc apostolico camerario, 100 marcas sterlingorum, quas cameræ debebat, a sociis Francisci Guidi mutuas sumpsit (*Reg. Vat.* 27, fol. 27 v°). — Idem de regibus dicendum quibus census solvendus esset (cf. Bond, *Archæologia*, XXVIII, pp. 265, 268, mandata quibus rex Angliæ præcipit ut diversis mercatoribus restituatur pecunia quam pro solvendo censu in antecessum numeravissent).
(5) *Oblig.* 1A, fol. 2.— Die 29 aprilis 1296 Medicus Aliocti 628 florenos et 6 solidos Prov. pro parte collegium et familiares cardinalium contingente persolvit (Kirsch, *Die Finanzverwaltung*, etc., p. 114).
(6) *Ibid.*, fol. 12 v°.

archiepiscopus Treverensis promisit per fratrem Alexandrum ordinis Predicatorum et magistrum Eustachium de Vicla, Leodiensis diocesis, procuratores suos ad hoc specialiter constitutos pro communi servitio domini pape et collegii XVI cardinalium MCCCC marchas argenti et LXXXVI marchas pro duobus consuetis servitiis familiarium eorumdem...... solvendas in Romana curia ad festum beati Johannis Baptiste proxime venturum. De predictis autem pecuniarum summis facta est obligatio auctoritate apostolica mercatoribus Clarentinis nomine domini pape et collegii XVI cardinalium (1) ». Obligatam mercatorum societatem, si opus esset, camerarius compellebat, ut promissam pecuniam solveret. Legitur enim in registro Tabularii Vaticani cui titulus *Obligationes* 1 A, fol. 2 v° : « *Item memorandum est quod circa festum beati Michaelis dicti anni* [1296] *dominus Ostiensis prefatus mercatores Ammannatorum de Pistorio, qui ad hoc se obligaverant, coegit solvere commune servitium VI*c *librarum Turonensium factum per abbatem sancti Victoris Massiliensis collegio X antiquorum cardinalium......* (2) ».

Hinc non pauca intelligi possunt, quæ in epistolis Urbani et Clementis IV reperiuntur. Regnante Urbano IV, rex Bohemiæ « *pro quodam servitio per procuratores suos nobis* » ut ait papa « *ex parte regis ejusdem oblato, Dulci de Burgo ejusque sociis, mercatoribus Florentinis, in quadam* » erat « *summa pecuniæ obligatus* »; discordia autem inter Dulcem de Burgo et cameram exorta, papa procuratoribus regis apud Venetias constitutis inhibuit ne predictam pecuniam Dulci persolverent (3). — *Cum olim* (sic Clemens anno 1265 archiepiscopo Ebredunensi) *camere felicis recordationis Urbani pape, predecessoris nostri, quadringentas libras Turonensium liberaliter promisisses, ac te tuamque ecclesiam dilecto filio Francisco Guidi, mercatori predecessoris ejusdem, pro pecunia hujusmodi sibi certo termino persolvenda duxeris obligandum* (4)...... ». — « *Cum venerabilis frater noster Metensis episcopus* (sic epistola officiali Trecensi missa) *in quinque millibus librarum Turonensium dilecto filio Bonaventure Bernar-*

(1) *Oblig.* 1A, fol. 14. Interdum etiam, non mercatorum societas, sed procurator nomine absentis prælati servitium promittens, se ipsum obligabat : « *Die XXVI mensis maii* [1302] *archiepiscopus Capuanus promisit... MVI*c *florenos auri... usque ad Kal. novembris proxime venturas per dominum Jordanum de Agina, procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum, et ad hoc obligavit idem dominus Jordanus se ipsum et suo proprio nomine et privato...* » (*Ibid.*, fol. 17).

(2) Cf. Kirsch. *op. cit.*, p. 112.

(3) P. 18371 et 18416.

(4) *Reg. Clem. IV*, 735.

dini et sociis ejus, civibus et mercatoribus Senensibus, nomine nostre camere teneatur (1)...... ». — Majorem etiam lucem profert epistola Clementis ad archiepiscopum Tuamensem (2) « ...... *Cum Jacobus Giberti et Raynerius Berindoti eorumque socii, cives et mercatores Florentini, camere apostolice obligati essent in non modica pecunie quantitate, aliasque pecuniam Ecclesie Romane in diversis mundi partibus recepissent* (3), *quia idem Jacobus...... sepe monitus de hiis satisfacere non curabat* », Urbanus IV archiepiscopo Tuamensi mandaverat ut pecuniam, quam Jacobo et Raynerio deberet, sociis Bonaventuræ Bernardini persolveret; postmodum autem, rebus compositis cum Jacobo et Raynerio archiepiscopo injunxerat ut eisdem satisfaceret. « *Verum cum propter hoc intentionis ejusdem predecessoris non fuerit, quod de quingentis marchis sterlingorum, quas olim per manus predictorum Jacobi Giberti et Raynerii Berindotis camere felicis recordationis Alexandre pape, predecessoris nostri, dum viveret, nomine servitii solvere promisisti, eidem Jacobo vel Raynerio seu cuiquam sociorum suorum aliquod solveretur, cum de hiis in ratione per dictum camerarium posita cum eisdem nihil solvere nec aliquod voluerint computare, quinimmo instrumenta obligationis que super marchis habent eisdem, eidem camere juramento prestito promiserint resignare; fraternitati tue...... mandamus, quatinus predictam marcharum quantitatem...... magistro Synicio, clerico camere nostre...... persolvas* (4) ».

Constat igitur, sæpissime mercatorum societates pecuniis nomine cameræ recipiendis adhibitas fuisse. Nec hoc eorum monopolium, qui cum mercatores cameræ dicerentur peculiari in sedem apostolicam obsequio præcipue obligarentur. In iis quæ supra retulimus exemplis nonnullæ occurrerunt societates quæ mercaturam cameræ nunquam exercuerunt; et Clemens V mercatores enumerans, qui pecuniam pro sede apostolica receptam cameræ deberent, Riccardos, et Bettos ac Cardellinos Lucanos, Pulices ac Rimbertinos, Frescobaldos, et Mozos, Florentinos, Majorem Ta-

(1) *Reg. Clem. IV*, 796.

(2) *Ibid.*, 761.

(3) Hic ergo distinguuntur, tum pecunia, quam Jacobus Giberti et socii nomine Ecclesiæ receperant, tum pecunia, de qua nomine prælatorum quorumdam persolvenda cameræ astricti erant.

(4) Sane in *Reg. Vat.* 27, fol. 145 exstat epistola Urbani IV, die 9 dec. 1263 data, qua archiepiscopo Tuamensi mandat, ut pecuniam a Jacobo Giberti et Raynerio Berindotis mutuo acceptam, restituat, 500 autem marcas cameræ debitas sociis Bonaventuræ Bernardini assignet. Quod archiepiscopum minime fecisse, constat ex epistola Clementis.

bulam, Senensem, Ammanatos Pistorienses ac Grozellos de Montepessulano, commemorat [1], inter quos Ammanati, Grozelli, et Betti ac Cardellini, nunquam mercatores cameræ fuerunt. Eis enim qui solvebant quem elegissent procuratorem adhibere licebat.

Non dubitandum tamen (quod etiam exemplis superius memoratis comprobatum est) quin prælati, quibus pecuniam cameræ solvendi causa necesse esset ut eam ipsi mutuam sumerent, mercatoribus cameræ, etsi non unice, longe tamen frequentius quam ceteris argentariis, usi sint. Nec mirum : ecclesiæ et conventus plerumque bonis immobilibus divites, pecunia numerata pauperes, servitiis aut censibus solvendis, nisi mutuo quæsito, impares erant. Mercatores autem cameræ, duplicem, ut ita dicamus, induentes personam, tum, ut infra ostendemus, pecuniam, sedis apostolicæ nomine, exactorum munere functi colligebant ; tum, argentariorum more, inhabilibus ad solvendum, bonis obligatis et promissis usuris, mutuum ultro offerebant. Facile intelligitur, eos officio quod gerebant freti competitrices societates longe superasse.

Erraret tamen, qui crederet, proventus sedis apostolicæ ultro, ut ita dicam, ad cameram pervenisse. Debitores e contra sæpius monendi, urgendi, minis aut censuris compellendi ; camerario pontificio necesse erat, ut pecuniam ipse repeteret, quam prælati sponte ad cameram mittere debuissent [2]. Mandatariis ergo utebatur sedes apostolica, qui proventus cameræ exigerent ; usque ad Innocentii III tempora, pœne neminem nisi uniuscujusque regionis episcopos, abbates, prælatos, adhibuit ; quorum opera, necnon et guardianorum Minorum et ministrorum Prædicatorum fratrum, sæculo quoque XIII usi sunt sæpius summi pontifices, et tum præcipue, cum extraordinarii reditus, ut legata aut confiscatorum bonorum pretium, erant colligendi [3]. Eodem tamen sæculo, tum multimodis conati sunt papæ, ut proventuum exactionem diligentius ordinandam curarent; tum ad diversas regiones nuntios speciales mittere consueverunt, qui pecuniam ad cameram spectantem perciperent [4] ; modo scriptores aut notarios apostolicos, modo clericos cameræ; modo papæ capellanos ; modo Mi-

(1) *Reg. Clem. V*, 7700 (anno 1312).
(2) De census perceptione sæculo XIII, cf. Fabre, *Etude sur le Liber Censuum*, p. 159-169.
(3) Cf. e. g. in solo Clementis IV registro, 723, 725, 729, 731, 746, 747, 748, 754, 763, 780, 781, 789-793, 796, 803.
(4) Cf. Fabre, *op. cit.*, p. 161-167,

norum aut Prædicatorum ordinum fratres; interdum etiam majoris momenti viros. Exempli gratia, regnante Clemente IV, Simoni tituli Sanctæ Ceciliæ presbytero cardinali, in Francia legato, injunctum fuit, ut in tardos aut contumaces abbates ageret (1). Nonnunquam collectoribus decimarum ecclesiasticorum proventuum, sæpius etiam collectoribus redemptionum votorum aut legatorum in Terræ Sanctæ subsidium relictorum, eodem tempore cameralis pecunia committebatur percipienda. Hujusmodi legationes primum raræ, mox frequentiores ; exeunte XIII, ac præsertim XIV sæculo in ordinarium pœne perpetuumque officium mutatæ (2).

Nuntii, qui cameræ apostolicæ negotia procurabant, excerpta in forma authentica ex libro Censuum secum deferebant, qui census a quibus solvendi essent proferentia; si dies solutionis cujusdam servitii aut debiti cederet, a papa vel camerario monebantur ; debitores pœnis etiam spiritualibus, si opus esset, ad solvendum compellebant; illis facultas erat, ut sibi subdelegatos eligerent (3). Custodia tamen et transmissio receptæ pecuniæ aliis credebatur, ad hoc opus peragendum melius paratis instructisque.

Collectores pecuniam a debitoribus recipiebant, præsentibus loci episcopo, guardiano Minorum et priore Prædicatorum ; vel, si abessent, tribus fidedignis testibus (4). De solutione duo fiebant publica instrumenta, quorum altero, quietationis loco, debitori tradito, alterum ad cameram mitteretur. Exactam vero pecuniam, donec de ea papa mandata dedisset, collectores in locis tutis deponebant. Interdum ipse papa, quibus in locis deponenda esset, præceperat; interdum collectoribus licebat ut suo periculo pecuniam cui vellent custodiendam assignarent. Sic Clemens IV archiepiscopo Armachano et episcopo Midensi scripsit, ut cum « *magister Johannes de Frusinone, capellanus noster, olim cum esset nuntius apostolice sedis in partibus Hybernie, non modicam pecuniam et alia plura bona ecclesie Romane ac Terre Sancte nomine per se ac subdelegatos seu nuntios suos* » dicatur « *recepisse, nonnullis de partibus illis adhuc nomine depositi vel commendationis pro parte dicti capellani detinentibus de pecunia et bonis hujusmodi varias portiones* », prædicta deposita exigerent (5).

(1) *Reg. Clem. IV*, 804.
(2) Cf. Kirsch, *Die pæpstlichen Kollektorien in Deutschland wæhrend dem XIV Jahrhundert;* [Samaran et Mollat, *La Fiscalité pontificale en France au XIVe s.*].
(3) Fabre, *op. cit.*, p. 162-166. — Cf. *Reg. Clem. IV*, 763.
(4) P. 18684.
(5) *Reg. Clem. IV*, 763 (cf. P. 18719-18720). — Cf. quoque *Reg. Clem. IV*, 775, ad Albertum de Parma in Alemannia nuntium.

Quibus cautionibus deposita fierent, epistola Clementis IV ad magistrum Albertum de Parma in Alemannia nuntium, edocet (1). « *Volumus autem ut quicquid de pecunia predicta receperis apud religiosas vel alias fideles et securas personas et loca tuta, sub testimonio trium vel plurium fidedignarum et sollempnium personarum, nomine nostro et Ecclesie Romane deponas. Proviso quod tam a depositariis ipsis quam personis predictis litteras testimoniales super deposito ipso patentes sub sigillis ipsorum recipias duplicatas, diem depositionis et quantitatem deposite pecunie continentes, quarum duas, unam videlicet depositariorum et alteram personarum sub quarum testimonio depositio facta fuerit, retentis penes te similibus litteris, nobis quantotius mittere non postponas* ».

Deposita nonnunquam apud mercatores fiebant (2); sæpius tamen, saltem ante annum circiter 1275, apud ecclesias aut monasteria; ut in Minorum aut Prædicatorum conventibus, ac præsertim apud Templarios. Pecunia quæ in Anglia collecta fuerat, in Templo Londoniensi plerumque deponebatur (3); quæ in Francia, in Templo Parisiensi (4); quæ in Hispania, in Templo Montispessulani (5); quæ in Italia septentrionali aut Germania, Venetiis in thesauraria Sancti Marci (6). Idem dicendum de decimis pro Terræ Sanctæ subsidio perceptis (7).

Quibus pactis pecunia cameralis depositariis crederetur, ex documentis non liquet; sed conjicere licet, ex eo quod de pecunia decimali compertum habemus. Mercatoribus aut Templariis *en*

(1) *Reg. Clem. IV*, 775. Cf. *Reg. Bon. VIII*, 1697.

(2) E. g. Albertus de Parma 640 marcas argenti apud Andream Christophori Senensem deposuerat (*Reg. Clem. IV*, 745). — Cf. quoque P. 18200.

(3) Londoniense Templum « *solitum legatorum et papalium nuntiorum receptaculum* » fuisse testatur Matthæus Westmonasteriensis ad a. 1244.

(4) Cf. *Reg. Vat.* 27, fol. 8 v°, mandatum die 14 martii 1262 thesaurario Templi Parisiensis datum, ut assignaret Andreæ Jacobi et Jacobo Gregorii, sociis Bonaventuræ Bernardini, 1000 marcas sterlingorum quas Guido de Basvilla, Templi Aquitaniæ præceptor, apud Templum Parisiense nomine Ecclesiæ deposuerat.

(5) Urbanus IV die 17 junii 1263 (*Reg. Vat.* 27, fol. 37 v°) episcopo Burgensi scripsit, ut 100 marcas sterlingorum de proventibus episcopatus Palentini acciperet et apud Templum Montispessulani ad opus cameræ deponeret. Cf. *Reg. Clem. IV*, 729-730.

(6) P. 18131, 18292, 18371. De commercio inter Venetias et Germaniam cf. Simonsfeld, *Der Fondaco dei Tedeschi in Venedig* (qui licet præsertim de sæc. XV-XVI disseruerit, nonnulla tamen de sæculo XIII suppeditat); Heyd, *Histoire du commerce du Levant au Moyen-Age*, II, 732 et sq. (Heyd ostendit ea ratione commercium actum fuisse, ut Germani mercatores Venetias devenirent, potius quam Italici Germaniam adirent. Facillime igitur pecunia e Germania ad Venetias confluebat.

(7) Gottlob, *Die pæpstlichen Kreuzzugssteuern des XIII Jahrhunderts*, p. 240.

compte courant, ut vulgari sermone utamur, tradebatur, ea facultate depositariis concessa, ut suo emolumento, suo periculo, creditos sibi nummos in fænore ponerent aut in exercendis negotiis impenderent, eos vel cum primum fuissent requisiti, vel præfixis terminis restituturi (1). Ea causa est cur diversæ mercatorum societates, magna inter sese æmulatione, deposita a collectoribus vel a camerario apostolico recipienda postularent. Ecclesiis vero et monasteriis pecunia sæpius in saccis aut capsis sigillo deponentis sigillatis inclusa credebatur. Sic anno 1221, Stephanus camerarius Hugonis, Ostiensis et Velletrensis episcopi, in Lombardia apostolice sedis legati, « *deposuit apud sacrestiam Bononiensis ecclesie sex sacculos denariorum Bononiensium sigillatos sigillo ipsius domini legati et domini Bononiensis episcopi, quos denarios dixit esse septingentas libras imperialium minus viginti tribus libris imperialium in Bononiensibus; et quos deposuit nomine domini pape et Romane Ecclesie et ipsius legati; et in presencia eorumdem ibidem deposuit duos alios sacculos denariorum sigillatos eisdem sigillis, disponendos arbitrio magistri Bondiei capellani domini episcopi Bononiensis, nomine ejusdem domini legati : in uno*

(1) Cf. Gottlob, *op. cit.*, p. 241; Delisle, *Les opérations financières des Templiers*, p. 15 et seq.; et in TAB. VATIC. *Miscellanea* instrumentum quoddam die 8 junii 1270 confectum, quo constat collectores decimæ Terræ Sanctæ in diocesi Sedunensi Ammannatis Pistoriensibus pecuniam tradidisse ; Ammannatis pericula furti, naufragii, incendii suscipientibus. — Cf. P. 25075, quo apparet anno 1301 Spinos in Anglia commorantes de pecunia decimæ apud se depositæ merces emisse. [Cf. etiam apud Arias, *Studi e documenti di storia del diritto*, 157, instrumentum depositi decimarum apud Riccardos facti. Mercatores depositam pecuniam « reddere et resignare » promittunt « ubicumque et quandocumque ipsi domino pape... placuerit... sub pena dupli quantitatum ipsarum... Quod si forte... hujusmodi depositum... reddere ac resignare quomodolibet retardarent, promiserunt... sub ypotheca et obligatione omnium bonorum mobilium et immobilium, jurium et actionum presentium et futurorum, suorum et predictorum sociorum ipsorum et ipsius societatis et cujuslibet eorum principaliter et in solidos, predictas... quantitates... restituere et penam dupli solvere et nichilominus reficere et restituere... dampna omnia, expensas et interesse, que et quas... facerent, incurrerent, seu quomodolibet susciperent, in judicio vel extra, pro predicta pecunia rehabenda, et de omnibus stare simplici verbo predicti domini episcopi et alterius cujusque ad hoc per summum pontificem . deputati, sine juris et facte probatione. » — Anno 1275, pecunia decimalis apud Scalos deponitur, eo pacto, quod eam mercatores nonnisi octo dierum interposito intervallo reddere cogerentur (Davidsohn, *Forschungen zur Geschichte von Florenz*, III, p. 27, nº 89).] Anno 1299, Bolinus Marsopi Florentinus de societate Spinorum, pecuniam decimalem provinciarum Aquensis et Arelatensis recipiens, promittit « *quod... de dicta... pecunia decime... episcopo Massiliensi vel cui ipse mandaverit reddet fideliter infra tres menses proximos rationem integram et fidelem* » (Blancard, *Documents inédits sur le commerce de Marseille au Moyen-Age*, II, 509).

quorum dixit esse centum triginta octo libre et in alio centum octuaginta libre imperialium in Bononiensibus [1] ».

Plerumque tamen majori pecuniæ inopia curia apostolica laborabat, quam ut collectos proventus diu tanquam supervacuos negligeret; immo eos mox in gerendis Ecclesiæ negotiis consumebat; perraro deposita diu apud depositarios remanebant. Sæpissime una eademque epistola pontifex collectori mandat, ut aliquam pecuniæ summam recipiat, receptamque mercatoribus cameræ tradat qui eam Romæ persolvant.

Attendendum enim summos pontifices, tam, si pecunia a collectoribus exacta ad curiam esset transmittenda, quam si depositum a depositariis esset exigendum, mercatoribus cameræ pariter usos fuisse. Hoc plura exempla comprobant, inter quæ nonnulla afferemus.

Inter regiones, ex quibus Sancta Sedes, Medio Aevo, proventus percipiebat, præcipuum Anglia locum obtinebat ; in ea denarius Beati Petri colligebatur; ejus reges, a tempore Johannis cognomine Sine Terra, apostolicæ sedi censum persolvebant annuum ; Anglicano clero extraordinaria imponere subsidia consueverant summi pontifices. Collectam autem pecuniam per manus mercatorum cameræ ad curiam destinatam fuisse, ostendemus.

Alexander IV, onere debitorum pro negotio Siciliæ contractorum oppressus, prælatis in Anglia constitutis mandavit, ut Romanæ Ecclesiæ paupertati subvenirent et pecuniam magistro Petro de Piperno, capellano apostolico, exhiberent, qui eam sociis Jacobi de Scala, Petri Benincasæ et Dini Perini, familiarium et campsorum papalium, cameræ transmittendam assignaret [2]. — Regnantibus Urbano IV et Clemente IV, apostolici nuntii qui successive vel insimul negotia cameræ in Anglia gesserunt, Johannes de Frusinone, Johannes de Cantia, Leonardus, cantor Messanensis, magister Sinitius, quicquid pecuniæ receperant, de mandato papæ apud socios Bonaventuræ Bernardini in Anglia commorantes deposuerunt [3]. — Die 19 februarii 1274 [4], Gregorius X Raymundo

(1) Levi, *Registri dei cardinali Ugolino d'Ostia e Ottaviano degli Ubaldini*, p. 107.

(2) *Reg. Vat.* 27, fol. 29 v° (die 20 martii 1261).

(3) *Reg. Vat.* 27, fol. 3 (die 26 sept. 1261; cf. ibidem epistolam ad magistrum Sinitium in Francia nuntium, ut quicquid receperit sociis Orlandi Bonsignoris in Francia morantibus assignet); — P. 18178, 18183, 18226, 18295, 18631; *Reg. Vat.* 27, fol. 33 (7 febr. 1262); *Reg. Clem. IV*, 798. — Sane die 25 julii 1263 (P. 18596), papa Johanni de Cantia scripsit, ut regem Angliæ moneret ut censum Rucco Cambii et Raynerio Abbatis de societate de Scala solveret; cur tum a consuetudine discurrerit Urbanus, infra ostendam. — Attendendum quoque, Urbanum mandata in P. 18596 contenta mox per P. 18631 revocavisse.

(4) *Reg. Greg. X*, 340 (P. 20797).

de Nogeriis fatetur Ecclesiæ plenarie satisfactum fuisse de 1160 marchis 7 solidis et 8 denariis sterlingorum, quas de denario Beati Petri Raymundus perceperat et Perrachio Scovaloco ac Raynaldo de Molendino, mercatoribus Placentinis, solverat. — Anno 1281, Martinus IV magistro Giffredo de Vezzano (quem Johannes XXI (1) nuntium in Angliam pro cameralibus gerendis negotiis miserat) scripsit ut censum a rege Angliæ cameræ debitum exigeret, exactumque traderet sociis trium societatum mercatorum cameræ, Rimbertinorum scilicet, Tommasi Spiliati et Hugonis Spinæ, ac Bonaventuræ Bernardini (2). Anno 1284 mandatum iteravit, adjectis tamen Riccardis interim ad servitium cameræ receptis (3). — Eumdem Giffredum anno 1288 jussit Nicolaus IV totam pecuniam nomine Ecclesie receptam quinque societatibus tunc obsequiis papæ insistentibus assignare (4). — Die 4 novembris 1289, Nicolaus IV confessus est procuratores regis Angliæ pro sex annis census Ecclesiæ debiti « *sex millia marcarum sterlingorum per manus dilectorum filiorum Labri Vulpelli, Dyni Todolini et Vanti Honesti de societate Riccardorum de Luca camere nostre mercatorum* » solvisse (5). — Bonifacius VIII die 8 julii 1295 mercatores suos Clarentinos Pistorienses pro quibusdam Ecclesiæ Romanæ negotiis in Angliam destinatos Edwardo regi commendavit (6) ; et in libro cui titulus *Introïtus et Exitus* quem Theiner pro parte publici juris fecit, legitur (7) tres societates mercatorum cameræ, Mozos scilicet, Spinos et Clarentinos, recepisse anno 1299 « *a magistro Giffredo quondam nuntio domini pape in Anglia et nunc episcopo Parmensi, pro parte denarii Sancti Petri annorum XCVII et XCVIII et quibusdam censibus CCLVII libr. XVIII sol. et*

(1) P. 21204.

(2) *Reg. Vat.* 42, fol. 7 (21 aug. 1281). — Cf. P. 21781. — Animadvertendum Nicolaum III anno 1278 quietationem de 8000 marcarum sterlingorum concessisse, quas Edwardus rex Angliæ partim Johanni XXI, partim Nicolao, pro annuo censu persolverat per manus Labri Vulpelli Lucani (P. 21271). Rex enim cum sponte solveret, quem maluerat mercatorem adhibuerat. Labrum Vulpelli ante Martini IV tempora ad servitium cameræ addictum fuisse, minime arbitror.

(3) *Reg. Vat.* 42, fol. 85 v°; die 13 febr. 1284.

(4) *Reg. Nic. IV*, 7015.

(5) P. 23102.

(6) P. 24126.

(7) Theiner, *Codex diplomaticus dominii temporalis Sanctæ Sedis*, I, p. 361. — Cf. etiam in *Reg. Clem. V*, 1152, rationes Spinorum anno 1306 redditas, ubi memorantur 1823 floreni recepti « *a Goffrido de Veiano de quadam summa sterlingorum in Anglia pro tertia parte.* »

VIII den. sterlingorum [1] ». — Girardus de Pecoraria, regnante Benedicto XI in Anglia, Wallia, Scotia et Hibernia nuntius [2], pecuniam cameræ debitam, jussu papæ [3], per Circulos Florentinos ad curiam transmittebat.

Nec in Anglia tantum suum cameræ mercatores officium exercebant. Bonifacius VIII Jacobo Normanni et Grimerio de Placentia commisit, ut in Francia pecuniam Ecclesiæ debitam exigerent et Spinis, Mozis et Clarentinis traderent [4]. Benedictus XI eadem mandata, quæ Girardo de Pecoraria, Bonajuto quoque de Casentino [5] dedit, cui Bonifacius VIII [6] commiserat ut in Bohemia, Hungaria, Polonia et Morawia residuum decimæ Lugdunensis et census cameræ debitos colligeret; necnon et magistro Gabrieli de Valleneto, cui idem munus injunctum fuerat in Maguntina, Treverensi, Coloniensi, Bremensi, Magdeburgensi et Salzburgensi provinciis, ac in Eistettensi et Bambergensi diocesibus [7].

Alia etiam afferre juvat exempla.

Alexandri IV tempore, Treverensis electus 2000 marcarum sterlingorum cameræ apostolicæ per manus Petri Benincasæ et Dini Perini se soluturum promiserat, nondum tamen, mortuo Alexandro, solverat. Quem Urbanus IV monuit, ut de debito satisfaceret Ecclesiæ; cum autem interim, ut supra ostendimus, Dinus Perini et Petrus Benincasæ una cum Jacobo de Scala mercaturam cameræ deseruissent, in eorum locum Orlando Bonsignoris et Bonaventura Bernardini subrogatis, pecuniam sociis prefatorum Orlandi et Bonaventuræ assignaret [8].

(1) Hic non agitur de censu a rege Angliæ Ecclesiæ debito, qui census a 1290 ad 1314 minime fuit persolutus (Kirsch, *Die Finanzverwaltung*, etc., p. 35); quanquam eum Bonifacius anno 1301 repetiverit, Spinis, Mozis et Clarentinis, mercatoribus cameræ, assignandum (*Reg. Bon. VIII*, 4331-3).

(2) *Reg. Ben. XI*, 1213.

(3) *Ibid.*, 1232.

(4) *Reg. Bon. VIII*, 1096.

(5) *Reg. Ben. XI*, 1155.

(6) P. 25073 (17 sept. 1301).

(7) *Ibid.*, 1233 ac 1273. — Cf. in *Reg. Clem. V*, App. I, p. 300, quietantiam die 1 junii 1309 Bonajuto concessam, ex qua apparet eum receptam pecuniam ad cameram transmisisse primum per Spinos (hic verosimiliter agitur de tempore Bonifacii VIII qui Spinis ut mercatoribus usus est) et societatem Benedictam de Pisis (quæ quid rationis cum camera habuerit, nescio; sed cf. P. 24933); ac postea per Bardos, Clarentinos et Circulos, mercatores scilicet Benedicti XI. — Cf. etiam in *Reg. Clem. V*, 1151, 1152, 2271, rationes Bardorum, Circulorum et Spinorum, in quibus numerantur pecuniæ summæ a Bonajuto mercatoribus eisdem traditæ. — Gabriel de Valleneto die 16 sept. 1301 in Alemanniam ad colligendam Lugdunensem decimam missus fuerat (K. 502).

(8) P. 18250.

Die 5 julii 1263, Urbanus IV officiali Trecensi injunxit, ut abbatem Sancti Remigii Remensis compelleret, ut 1000 libras Turonensium cameræ debitas sociis Bonaventuræ Bernardini exhiberet [1].

Cum Petrus, quondam abbas sæcularis ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris Pictavensis omnia bona Clementi IV legavisset, papa episcopo et decano Sancti Hilarii Pictavensis scripsit, ut « *quicquid receptum est et recipi contigerit de pretio eorumdem bonorum dilectis filiis Hugoni Jacobi, Bartholomeo Henrici et Guidoni Juncte......, de societate Bonaventure civis et mercatoris Senensis* » assignari juberent [2].

Clemens IV Johanni Armundi mandavit, ut 30 libras Venetorum grossorum, de pecunia cameræ, quas ei Simon de Alvernia ordinis Minorum, Urbani IV in partibus Romaniæ nuntius, mutuo tradiderat, Jacobo Gregorii socio Bonaventuræ Bernardini Venetiis commoranti restitueret [3].

Idem Clemens bona Nicholai, quondam prepositi Montis Senesii, « *propter vitium falsitatis* » ab episcopo Lingonensi capti et detenti, assignari jubet ad opus cameræ Hugoni Jacobi, Facio Juncte et Jacobo Egidii, sociis Bonaventuræ Bernardini [4].

Regnante Bonifacio VIII, mercatores de societate Pulicum et Rimbertinorum ducentas libras Turonensium grossorum a Johanne Wintoniensi episcopo in depositum receperant : quam pecuniam, licet de ea episcopo satisfecissent, iterum tamen officiales regis Franciæ ab eis extorserant, prætextu belli inter Philippum IV et regem Angliæ exorti. Cum igitur Pulices et Rimbertini pecuniam multam cameræ apostolicæ deberent, papa Philippum rogavit, ut predictas ducentas libras restitui juberet, et Spinis, Mozis ac Clarentinis, cameræ mercatoribus, assignari, a debitis Pulicum et Rimbertinorum deducendas [5].

Bonifacius VIII B. Albanensi et P. Penestrino episcopis in Franciam et Angliam destinatis, certas pro expensis deputaverat procurationes: quas prefati episcopi, « *pro tribus annis per quos prosecutioni negotiorum ipsorum sollicite institerunt, prelatis et aliis personis ecclesiasticis* » dictarum partium imposuerant. Cum

(1) *Reg. Vat.* 27, fol. 39. — Idem eadem die officiali Parisiensi de episcopo Wintoniensi injunctum (*ibid.*). — Cf. *Reg. Vat.* 27, fol. 49, fol. 143; — *Reg. Clem. IV*, 804; — P. 19661.

(2) *Reg. Clem. IV*, 803. — Cf. de similibus negotiis *Reg. Vat.* 27, fol. 4, fol. 37; — *Reg. Bon. VIII*, 1697.

(3) P. 19171, 19227.

(4) *Reg. Clem. IV*, 747, 748.

(5) *Reg. Bon. VIII*, 1225.

autem de predictis procurationibus, Albanensi et Penestrino episcopis mortuis, magna adhuc pecuniæ quantitas colligenda restaret, papa magistro Giffredo de Vezzano, cameræ apostolicæ clerico, die 27 octobris 1297 mandavit, ut debitores ad residui solutionem compelleret, et solutam pecuniam, cameræ apostolicæ assignandam, Lanfranco Anselmi de societate Clarentum transmitteret (1).

Eodem modo, pecuniæ summas ad cameram spectantes, et sive apud mercatores quosvis, sive apud monasteria aut in ecclesiis depositas, per mercatores cameræ repetere consueverat Ecclesia. Die 17 junii 1263 (2), Urbanus IV, die 29 maii 1266 (3), Clemens IV, episcopo Burgensi præceperunt, ut centum marcas sterlingorum a quondam episcopo Palentino nomine Ecclesiæ receptas, apud Montempessulanum in domo Templi deponeret ; quas ut Aldebrando Aldebrandini et Paltono Diotisalvi, sociis Bonaventuræ Bernardini, traderent, Templariis mandaverat Clemens (4).

Astensem civitatem, « *pro satisfactione quorumdam excessuum* », 1852 libris Januensium sedes apostolica mulctaverat ; quas cum Nicolaus de Monte Calerio, ordinis Minorum, exegisset, eis apud Thomam Macalufi mercatorem Januensem depositis ; Thomæ scripsit Nicolaus III ut prefatam pecuniæ summam mercatoribus apostolicis assignaret (5).

Aliquando etiam mercatoribus papa committit, ut pecuniam cameræ debitam, ministerio nullo interposito, a debitoribus ipsi et exigant et recipiant. Multa in Urbani IV et Clementis IV epistolis occurrunt exempla ; qui pontifices (ut pauca tantum offeramus), tum episcopo Magalonensi (6), tum consulibus et communitati Montispessulani (7), annuum censum Ecclesiæ debentibus, injunxerunt ut de censu tum pro annis preteritis, tum pro anno jam instanti sociis Bonaventuræ Bernardini responderent. Prior quoque monasterii Sancti Aygulfi de Pruvino pollicitus erat se quadringentas libras Turonensium cameræ soluturum ; ei mandavit Clemens ut « *predictam pecuniæ quantitatem Facio Juncte, Hugoni, Jacobo Gilii et Lotto Hugolini, sociis dilectorum filiorum Bonaventure Bernardini, Rainerii Jacobi, et Francisci Guidi,*

(1) *Reg. Bon. VIII*, 2088; cf. 733.
(2) *Reg. Vat.* 27, fol. 37 v°.
(3) *Reg. Clem. IV*, 781.
(4) *Ibid.*, 730.
(5) P. 21572.
(6) *Reg. Vat.* 27, fol. 49 (11 nov. 1262), et *Reg. Clem. IV*, 755.
(7) *Reg. Clem. IV*, 756. — Cf. ap. Germain, *Histoire du commerce de Montpellier*, I, 257, quietantiam a sociis Bonaventuræ Bernardini et Orlandi Bonsignoris consulibus Montispessulani concessam.

civium et mercatorum Senensium, aut eorum uni vel certo nuntio eorumdem, presentes tibi litteras deferenti, nomine nostro...... persolvas (1) ». Mercatorum igitur ministerio qui collectorum partes agerent utebantur summi pontifices.

Nonnunquam, episcopis aut abbatibus pecuniam cameræ pollicitis in ipso obligationis instrumento præscriptum erat, pecuniam certo loco, certaque die mercatoribus cameræ persolvendam esse (2).

Apostolicæ litteræ, quibus mercatoribus mandabatur, ut pecuniam exigerent, exactamque custodirent et Romam transmitterent, illi aut illis e societate campsorum cameræ plerumque tradebantur, qui in curia Romana ipsi et continuo commorantes, sociorum negotia procurabant. Hinc notulæ marginales, quæ sæpissime in cameralibus registris Urbani IV et Clementis IV leguntur : « *Date in manibus Francisci de Senis* (3) ». — « *Ista littera assignata fuit Raynerio Jacobi* (4) ». — « *Assignate fuerunt Bonaventure Bernardini, civi et mercatori Senensi* (5) ». — « *Assignate fuerunt Francisco Guidi, civi et mercatori Senensi* (6) ». — « *Assignate fuerunt Bonaventure Bernardini et Francisco* (7) ».

Nec in colligendis tantum proventibus mercatores operam cameræ exhibebant. Facile ostendemus (licet pauciora numero præsto sint exempla), iis quoque usos fuisse pontifices, si quando pecunia solvenda erat vel ad remotas orbis partes transmittenda. Anno 1232, Gregorius IX pecuniam Johanni de Columna tituli Sanctæ Praxedis cardinali transmisit, mediante Caponigro socio Johannis Bobonis campsoris pontificii (8). — Die 7 septembris 1252, Innocentius IV episcopo Placentino scripsit, ut trecentas libras imperialium acciperet et in commodum militum Placentinorum expenderet, solvendas « *a sociis Bonifacii de Senis campsoris nostri Janue commorantibus* (9) ». — Clemens IV abbati Cassinensi

(1) *Reg. Clem. IV*, 753, 754. De simili mandato, cf. 794.

(2) *Reg. Clem. IV*, 746; P. 19661.

(3) Scilicet Francisci Guidi. — *Reg. Vat.* 27, fol. 10 et 10 v° (P. 18182-4, 18201, 18295).

(4) *Reg. Vat.* 27, fol. 4, et passim. Raynerius Jacobi socius erat Bonaventuræ Bernardini; cf. supra, p. 18.

(5) *Reg. Clem. IV*, 754, 756.

(6) *Ibid.*, 746, 748.

(7) *Ibid.*, 726, 731.

(8) Muratori, *Antiquitates*, II, 807. — Cf. supra, p. 9.

(9) *Reg. Inn. IV*, 6777. — Cf. epistolam, quam mense septembris 1252 Octavianus Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis Innocentio scripsit : «... *in admirationem deduci possum, quia cum sciretis afflictiones et miserias eorumdem* [scil. Parmensium et Placentinorum], *et subventionem esse celerem propter instans periculum impendendam, pecuniam mercatoribus ponendam in necessariis subsidiis non misistis...* » (Levi, *Registri dei cardinali Ugolino d'Ostia ed Ottaviano degli Ubaldini*, p. 168).

præceperat, ut cum ducentis militibus de Campania in regnum Siciliæ se conferret, Christi fidelibus contra Sarracenos Luceriæ subsidium præstandi causa. Cum autem « *propter viarum pericula* » pecuniam eis dare nequivisset transferendam, Nicolao capellano apostolico scripsit « *quatinus eidem abbati usque ad mille uncias auri, cum a te eas petierit, subministres, quas ex nunc tradimus Bonaventuræ et ejus sociis mercatoribus et civibus Senensibus tuo nomine possidendas, et cui, ubi et quando volueris assignandas* [1] ». Idem Clemens 70 libras Turonensium monasterio Sancti Egidii transmisit [2], « *a Senensibus mercatoribus in Montepessulano commorantibus* » recipiendas (nec dubium, quin hic agatur de Aldebrando Aldebrandini, Paltono Diotisalvi et Fatio Berignonis [3], sociis Bonaventuræ Bernardini). — Martinus IV capellano suo, Henrico, canonico Lemovicensi, mandavit, ut stipendiariis Tuscis et Lombardis stipendia solveret, accepta a mercatoribus cameræ pecunia [4]. — Nicolaus IV centum millia marcarum sterlingorum regi Angliæ per manus Riccardorum persolvit [5]. — Bonifacius VIII Carolo II regi Siciliæ 25000 marcarum argenti anno 1295, 40000 anno 1297, per Clarentinos, nomine mutui, exhiberi jussit [6]. — Cum Romana Ecclesia Blancæ, Jacobi regis Aragonum uxori, dotem centum millium marcharum argenti promisisset, die 3 martii 1299 testatus est Bonifacius VIII, mercatores de societate Clarentum 32000 florenorum auri in ipsa dote computanda, Aragoniæ regi persolvisse [7]. — Die 7 junii 1304, Nicolaus episcopus Ostiensis et Velletrensis, apostolicus in Tuscia legatus, confessus est se recepisse ab Olivero de Circulis 4000 florenorum auri, quos papa apud Perusium Bonacurso Bonincontri, societatis Circulorum socio, tradi jusserat legato transmittendos [8].

Receptam transmittendamque pecuniam aliquando in nummis positam secum deferebant mercatores. Sic in epistola quadam Martini IV omnibus Christi fidelibus præcipitur, ut Dino Johannis, Mainetto Rinaldi, Thuræ Bonamiki, Labro Volpelli, mercatoribus cameræ, « *ex ultramontanis partibus* » (id est Francia), pecuniam

(1) P. 19946.
(2) P. 20233.
(3) Cf. *Reg. Clem. IV*, 755.
(4) P. 21906.
(5) P. 23610.
(6) *Reg. Bon. VIII*, 217 (2 julii 1295), et 2317 (9 febr. 1297).
(7) *Ibid.*, 3001 (3 martii 1299).
(8) Grandjean, *Documents relatifs à la légation du cardinal de Prato en Toscane*, in *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, 1883, p. 419.

ad curiam deferentibus, de securo conductu provideant [1]. Anno 1300, Spini pecuniæ summas, libros, jocalia et vasa argentea, quæ ad Loffridum quondam præpositum Bariolensis ecclesiæ pertinebant, quæque papa *jure spolii* sibi assignari jusserat, ab archiepiscopo Aquensi receperunt et cameræ assignaverunt [2]. Ex registris etiam Urbani IV colligi potest, quantum temporis spatium interfuerit, donec pecunia in Francia recepta ad cameram pervenire potuerit. Die enim 14 martii 1262, Urbanus thesaurario Domus Templi Parisiensis injunxit, ut centum marcas sterlingorum sociis Bonaventuræ Bernardini assignaret [3]. Duplex autem in margine notula legitur ; altera testatur, litteras apostolicas die 22 martii Bonaventuræ Bernardini traditas fuisse; ex altera liquet, prædictas centum marcas a camerario in recepta mensis julii conscriptas fuisse.

Plerumque tamen, ut arbitror, tum mercatores, tum clerici cameræ, consulebant, ne pecunia numerata viarum discriminibus, latronum aut naufragii periculo exponeretur. Majorem fore tum securitatem, tum celeritatem intelligebant, si litteræ cambii adhiberentur.

Interdum pecunia in regione eadem ubi collecta fuerat in locis electis, quæ tutissima viderentur, deposita asservabatur ; camerarius autem apostolicus, quoties solutio esset facienda, quibus indigeret pecuniæ summas a mercatoribus cameræ mutuo recipiebat, eorum sociis restituendas qui in eisdem locis commorarentur ubi pecunia custodiebatur. Sic Martinus IV anno 1282 bellum contra rebelles Romaniolæ gerens, cum, Philippo III rege Franciæ assentiente, « *de pecunia decime ad opus ipsius regis pro Terre Sancte subsidio in domo Templi Parisiensis deposita, centum millia librarum Turonensium* » mutuatus esset, thesaurario Templi mandavit, ut magistro G. de Fontanis in Francia milites et balistarios stipendianti, « *partem dicte pecunie quam petierit* », assignaret ; residuam vero in Templo conservaret [4]. Anno autem 1283, duabus diversis vicibus [5] a Dino Johannis, Maynecto Raynaldi, Fatio Berignonis et Labro Volpelli, mercatoribus cameræ, viginti millia librarum Turonensium sibi jussit

(1) *Reg. Vat.* 42, fol. 115.
(2) *Reg. Bon. VIII*, 3924.
(3) *Reg. Vat.* 27, fol. 8 v°.
(4) Delisle, *Mémoire sur les opérations financières des Templiers*, p. 114-115.
(5) *Reg. Vat.* 42, fol. 48 (die 7 maii 1283), et fol. 53 (die 5 julii 1283). — Die demum 23 julii 1283 (*ibid.*, fol. 54 v°), papa thesaurario Templi scripsit, ut quicquid de prefata pecunia residuum esset, sociis mercatorum cameræ traderet.

exhiberi ; quas ut sociis dictorum mercatorum in Francia negotia gerentibus restitueret, thesaurario Templi Parisiensis injunxit.

Sæpius autem, urgente, ut supra diximus, necessitate, collectores apostolici vix exactam pecuniam mercatoribus tradebant, qui eam sociis apud curiam morantibus, cambio facto [1], refundebant. Hanc mittendi pecuniam rationem a collectoribus sæculo XIV maxime fuisse usitatam, comprobant rationes collectorum, quas v. cl. Kirsch publici juris fecit. Litteras cambii sæculo quoque XIII ab eis adhibitas fuisse, constat, et in sequenti capitulo, quo de decimis disseremus, ostendemus.

Nec dubito, quin summi pontifices eo potissimum consilio, ut talibus artibus uti possent, cameræ negotia commiserint mercatoribus, qui in diversis Europæ partibus et socios et procuratores haberent.

Ex iis quæ jam dicta sunt, inter conditiones duas distinguendum esse constat : aut enim pecunia ad cameram eorum qui solvebant cura impensisque mittebatur ; et cum ita res se haberet, iis qui solvebant liberum erat quem elegissent procuratorem adhibere ; aut negotia cameræ apostolicæ nomine gerebantur, et tunc suo cameræ mercatores monopolio utebantur.

Hujus distinctionis exemplum præbet epistola quædam Urbani IV. Archiepiscopus Tuamensis 1000 marcas sterlingorum Alexandro IV promiserat, per manus Dulcis et Nocti de Burgo, Florentinorum mercatorum, persolvendas. Cum autem Dulcis et Noctus, ut sine temeritate suspicari licet, in solutione tardius morati essent, Alexander IV, pecuniæ indigens, debitum directe a debitore repetivit; fratri Johanni de Cantia, in Anglia nuntio, injunxit, ut archiepiscopum moneret, quod infra duos menses præfatas mille marcas, non tamen Dulci et Nocto, sed sociis Jacobi de Scala (tunc cameræ mercatoris), persolveret. Defuncto tamen Alexandro, et interim pecunia cameræ a Dulci et Nocto erogata, Urbanus prædecessoris mandatum revocavit [2].

Sane mercatores cameræ hujusmodi monopolium, nulla unquam interveniente exceptione, exercuisse, minime contendo. Raro tamen, et specie potius quam re vera, occurrunt exceptiones.

Hoc primum animadvertendum, mercatores cameræ non ubique mercaturam egisse, non ubique procuratores habuisse; ubi deessent, cameræ necesse erat ut aliorum ministerio uteretur.

(1) De litteris cambii medio ævo adhibitis, cf. Goldschmidt, *Handbuch des Handelsrechts*, I, 403 sq.

(2) P. 18705.

Anno 1262, Urbanus IV priori Prædicatorum de Andrevilla mandavit, ut quasdam pecuniæ summas ab archiepiscopo Patracensi et Lacedemonensi episcopo receptas, fidedignis mercatoribus, Senensibus vel Florentinis (nec excluditur, quin aliis quam mercatoribus cameræ), assignaret (1). Plerumque tamen cleri opera utebatur camera. Collectores apostolici, papalium litterarum auctoritate fulti, ecclesiasticis personis earum regionum, in quibus officio collectoriæ fungebantur, imponebant, ut suis impensis et periculo suo pecuniam ad eum locum deportarent, ubi eam mercatores cameræ reciperent. Anno 1254, Innocentius IV fratrem Walascum, ordinis Minorum, in Hispaniam destinavit, ut pecuniam Ecclesiæ vel Terræ Sanctæ debitam exigeret, exactam transmitteret « *per archiepiscopos, episcopos, abbates et priores Cisterciensis vel sancti Benedicti vel alterius cujuscumque ordinis, ac prelatos alios exemptos et non exemptos, necnon per Templarios et Hospitalarios partium predictarum* (2) ». Regnante Urbano IV, pecunia in Ungaria, Bohemia et Polonia collecta, de loco ad locum Venetias transvehebatur, et in ecclesia Sancti Marci deponebatur; exstant adhuc mandata Urbani, tum episcopo Olomucensi, tum omnibus ecclesiasticis personis prædictarum partium directa, « *quatinus pecuniam, quam dilectus filius Petrus de Pontecurvo, clericus capelle nostre, archidiaconus Gradicensis, per se vel alios vobis duxerit assignandam, sine difficultate recipere, et ad loca, que ipse vobis expresserit per vos vel fideles et securas personas in expensis propriis sub periculo vestro transferre ac deponere...... procuretis* (3) ». Nicolas IV 1288 Johanni dicto Muscata archidiacono Wratislaviensi, in Polonia denarii beati Petri collectori, præcepit, ut pecuniam priori Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani aut Wratislaviensi episcopo assignaret, « *deferendam per se vel alium aut alios sub ejus periculo ad villam Brugensem in Flandria et dilectis filiis Rodulpho Bonaguide, Rogerio Dardorci et Johanni Bonaguide, camere nostre mercatoribus, de societate Pulicum* [*et*] *Rimbertinorum de Florentia, ibidem morantibus* », persolvendam (4).

Aliquando etiam mercatores cameræ mercatores alios sibi aut consociabant aut in exsequendis cameræ negotiis subrogabant (5).

(1) *Reg. Vat.* 27, fol. 14 (6 aug. 1262).
(2) P. 15442.
(3) P. 18323. — Cf. P. 18131, 18291-2.
(4) *Reg. Nic. IV*, 7084.
(5) Diversas mercatorum societates sæpe negotia simul gessisse ostendunt documenta a v. cl. Berti edita (*Giornale Storico degli Archivi Toscani*, 1857, p. 173, 178), in quibus Circuli, Spini, Mozi, Scali, Magna Tabula Senensis, Bardi, Clarentini, Perutii, alii etiam, naves una naulizant.

Constat, exempli gratia, societates tum Bonaventuræ Bernardini tum Jacobi de Scala, amicitia et familiaritate ita conjunctas fuisse, ut nonnunquam ambæ simul egerint, nonnunquam una alterius negotia gerenda sumpserint.

Sic anno 1265, Tegla filius Jacobi de Scala, ac Franciscus Guidi, Caroli regis Siciliæ procuratoribus 2932 libras Turonensium Romæ insimul præstiterunt; quas papa de proventibus decimæ in Francia pro belli Siciliani prosecutione collectæ restitui mandavit Fatio Junctæ et Hugoni Jacobi (sociis Francisci Guidi), et Thomæ Spiliati ac Maynecto Spinæ (sociis Jacobi de Scala) (1). Nulla ergo admirationis causa subest, si eodem anno Clemens IV episcopo Ferrariensi scripsit, ut « *trecentas libras Bononinorum, quas de redditibus ripe Ferrarie et aliis Ecclesie Romane juribus* » recepisset, Jacobo de Scala et Jacobo dicto Lecca, civibus Florentinis, assignaret (2). In margine hujus epistolæ codex notulam præbet solitam : « *Assignate fuerunt Bonaventuræ Bernardini et Francisco* »: unde patet, epistolam petentibus Bonaventura et Francisco conscriptam eis traditam fuisse; ipsos rursus Jacobum de Scala et Jacobum Leccam procuratores assumpsisse. Eadem ratione explicandum, cur, ut supra diximus, anno 1263 Urbanus IV censum regni Angliæ haud mercatoribus cameræ, sed societati de Scala dari jusserit (3); curve 1262 priori Sancti Fridiani Lucani mandaverit, ut bona quædam ad Ecclesiam spectantia Hugoni Spinæ, tunc socio Jacobi de Scala, traderet (4); curve tum Alexander IV, tum Urbanus IV, nonnunquam Maynecto Rimbertini et sociis (5), aut Lotherio Bonascii (6), mercatori Urbevetano, pecuniam commiserint recuperandam.

Interdum etiam pontifex, mutuum a mercatoribus quibusvis accipiens, mutuantibus restitutionis loco concedebat, ut certos

(1) P. 19283.
(2) *Reg. Clem. IV*, 726.
(3) P. 18596. Cf. supra.
(4) *Reg. Vat.* 27, fol. 20.
(5) *Reg. Vat.* 27, fol. 32 v° (cf. supra, p. 13) et P. 18574. De commercio quod Rimbertini cum Scalis haberent cf. supra, p. 13. Ceterum, ut jam monuimus, minime excluditur, quin Rimbertini mercaturam cameræ regnante Alexandro exercuerint. — Et cum societate Bonaventuræ Bernardini arctissima consuetudine conjuncti fuerunt. Anno 1256, Cancius Simonetti (de societate Maynetti Rimbertini, ut ex *Reg. Vat.* 27, fol. 44 manifestum est) et Rinaldus Florentii ejus socius, quibus pecunia erat recipienda, sibi Bonsignorem Raynerii, de Bonaventura Bernardini (*Reg. Vat.* 27, fol. 39 v°) et Boccam Ammannati de Maynetti Rimbertini (*ibid.*, fol. 44) societatibus subrogaverunt (Bibl. Nat., ms. *Lat.* 17133, n° 17).
(6) P. 18200, 18298.

cameræ proventus ipsimet exigerent, debitores cameræ per patentes litteras quietando, et in solutionem crediti retinerent. Sic Bonifacius VIII, die 20 augusti 1298, mercatoribus de societate Circulorum, qui belli contra Columpnenses gerendi causa 4100 florenorum auri Sanctæ Sedi mutuaverant, concessit, ut communia servitia, quibus Vallis Umbrosæ et Sancti Remigii Remensis abbates, necnon et prior Camaldulensis, apostolicæ cameræ essent obligati, exigere possent [1]. Talia tamen perraro occurrere videntur, cum plerumque pontifices majora debita, Terræ Sanctæ decimis, non cameræ proventibus, obligatis, contrahere consueverint; minores vero pecuniæ summas et quotidie pro expensis curiæ solvendas, mercatores cameræ, ut infra ostendemus, pro officio suo mutuas dederint.

Juvat denique litteras commemorare, quibus Bonifacius VIII Biccio, Musciacto et Nicolutio fratribus de societate Franciscorum, rectoriam terre Venaysine et curam recolligendorum Ecclesiæ proventuum commisit [2]. Cur eos ad tale officium elegerit, facile conjiciet, qui meminerit quanto favore, quanta auctoritate apud Philippum IV valuerint Biccius et Musciatus [3]. Hoc tamen animadvertendum eos pecuniam non directe, sed interposito cameræ apostolicæ mercatorum ministerio, ad cameram transmisisse. Legitur enim in libro *Introituum et Exituum* Bonifacii VIII, anno 1299, Spinos, Mozos et Clarentinos recepisse « *a societate Franciscorum pro D libr. Turonensium parvorum ad X solidos et medium pro floreno, et pro CC libris Turonensium parvorum ad XVI solidos pro floreno, pro complemento proventuum Comitatus Venessini; valent ad flor. MCCLXV florenos auri* [4] ». Nec Francisci diu in officio permanserunt. Anno 1301, magistro Mathia de Theate rectore, Clarentini proventus Comitatus Venaysini reci-

(1) *Reg. Bon. VIII*, 2644. — *Ibid.*, 2645-2646, similes concessiones reperiuntur Ammannatis Pistoriensibus et Canigianis Florentinis factæ.

(2) *Reg. Bon. VIII*, 1659-1660; 1° febr. 1297. — Cf. Kirsch, *Die Finanzverwaltung des Kardinalcollegiums*, p. 107 et 117. [Cf. supra, p. 29. Cf. etiam apud Davidsohn, *Forschungen zur Geschichte von Florenz*, III, p. 137, rationes quibus apparet Franciscos die 25 sept. 1299 rectoria comitatus Venaysini cessisse.]

(3) De Franciscis, cf. Piton, *Les Lombards;* Del Lungo, *Dante nei tempi di Dante*, pp. 54-66; Langlois, *Revue Historique*, LX, 322-327; Paoli, *Giornale Storico della Letteratura Italiana*, V, 329.

(4) Theiner, *Codex Diplomaticus Dominii temporalis*, p. 362. Cf. etiam Kirsch, *Die Finanzverwaltung des Kardinalcollegiums*, p. 117, ubi legitur, anno 1297 partem proventuum comitatus Venaisini quæ ad cardinales spectabat, a Franciscis transmissam, inter cardinales a Clarentinis tunc mercatoribus Sacri Collegii, divisam fuisse. De mercatoribus Sacri Collegii cf. infra, p. 129.

piebant [1]. Anno 1303, Gerio Spinæ [2] rectore, Simon Gerardi de societate Spinorum redditus ejusdem comitatus collegio cardinalium persolvit [3].

Quæ etsi commemoranda sint, conclusionem tamen supra institutam documentisque comprobatam non infirmant. Constat cameram apostolicam, nedum omnibus Italicorum mercatorum societatibus promiscue uteretur, unam econtra vel paucas consulto elegisse, quibus e conditionibus certis negotia gerenda committeret.

(1) Tab. Vat., *Obligationes*, 1A, fol. 30 vo
(2) Idem, ut arbitror, ac Rogerius Spinæ, qui inter socios Spinorum occurrit.
(3) Tab. Vat., *Obligationes*, 1A, fol. 36 vo.

III

De Decimis.

Nunc ad ecclesiasticorum proventuum decimas, ad opus Terræ Sanctæ vel aliis de causis perceptas, veniamus.

Quam partem in eis administrandis habuerint mercatores, quærenti, tria, ut recte admonuit v. cl. Gottlob [1], tempora sunt distinguenda.

1° Innocentio III et Honorio III regnantibus, perraro in colligendis aut transmittendis decimis versantur ; hujusmodi munus tum uniuscujusque diocesis episcopus et clerus, tum militarium ordinum fratres exercebant.

Innocentius III in fine decembris 1199 [2] quadragesimam omnium ecclesiasticorum proventuum in subsidium Terræ Sanctæ colligi jussit; archiepiscopis et episcopis injungens, ut « *quadragesimam ipsam per vestras dioceses exactam et collectam, fideliter faciatis juxta predictam formam in tuto loco deponi, summam omnium per vestras litteras et speciales nuntios nobis quam citius fieri poterit expressuri...... Volumus insuper, ut adhibitis vobis duobus fratribus, ubi poterunt inveniri, uno Jerosolymitani Hospitalis et alio Militiæ Templi, aliisque religiosis laicis et discretis militibus, et aliis bellatoribus qui signum Dominice crucis assumpserint, si in suis non poterunt sumptibus transfretare, congrua de eadem summa stipendia ministretis, sufficienti ab eis cautione recepta, quod in defensione terre Orientalis per annum vel amplius juxta quantitatem subsidii commorentur......* »

Honorius III de vicesima in quarto Lateranensi concilio indicta statuerat, ut « *ad omnem suspitionem vitandam de vicesima vel*

(1) *Die pæpstlichen Kreuzzugsteuern des XIII Jahrhunderts*, p. 248 (cui libro me in sequenti capitulo plurimum debere profiteor). — Cf. Gerbaux, *Les décimes ecclésiastiques au XIII*e *siècle*, in *Positions de thèses de l'Ecole des Chartes*, 1881.

(2) P. 915 et 922.

redemptione votorum ad manus nostras nichil penitus deveniret, sed vicesima singularum diocesum vel provinciarum per viros idoneos et maxime per locorum episcopos, si crucesignati essent, portaretur fideliter ultra mare [1] ». Vicesimæ igitur collectionem magistris Hospitalis et Templi, et decanis ac archidiaconis commisit; decrevit insuper, ut « *vicesima cujusque diocesis redacta fideliter in pecuniam sub certo numero comprehendendo in autenticorum virorum et presertim illorum qui eam collegerint testimonialibus litteris et nobis etiam explicando, ultra mare portetur per quatuor vel quinque seu plures viros prudentes clericos et laicos crucesignatos illius civitatis et diocesis...... quorum unus sit episcopus loci, siquidem crucesignatus extiterit, reliquis ab episcopo diocesano et ipsius vicesime collectoribus eligendis, et per manus ipsorum de conscientia tamen cardinalis qui fuerit ibi legatus distribuatur fideliter et discrete crucesignatis egentibus et utilibus negotio Terre Sancte ac presertim de illa diocesi ubi vicesima illa collecta fuerit oriundis* [2]...... ». — « *Postmodum autem* (sic Honorius in epistola die 24 julii 1220 [3] ad Pelagium, Albanensem episcopum, Apostolicæ Sedis in Orientalibus partibus legatum) *multi magnates et potentes crucesignati dicentes quod ad exequenda vota sua sibi non sufficiebant proprie facultates, obtinuerunt a nobis de consilio fratrum nostrorum vicesimam terre sue. Verum videntes, licet sero, quod sic vicesima minus utiliter tractaretur......, capellanos et alios familiares nostros ad diversas partes mundi transmisimus pro residuo vicesime colligendo, et quicquid unquam habere potuimus de vicesima vel redemptione votorum et de hiis que nobis remanserunt in camera tibi curavimus destinare* ». Hugolinus, episcopus Ostiensis, cui papa vicesimam in Tuscia, Lombardia, Romaniola et Aquilegensi ac Gradensi patriarchatibus colligendam commiserat, aliquando mercatores adhibuit, qui pecuniam ad cameram mitterent [4]. An alii, quibus idem munus in reliquis regionibus injunxerat Honorius, mercatoribus sint usi, non liquet. Nunquam autem, ut ex epistola, quam supra memoravimus, plane apparet, Honorius Pelagio pecuniam per mercatores transmisit, imo vero interdum episcopis aut ecclesiasticis personis in subsidium Terræ Sanctæ proficiscentibus,

(1) Rodenberg, *Epistolæ sæculi XIII e regestis pontificum Romanorum*, I, p. 89.
(2) P. 5478 (28 febr. 1217).
(3) Rodenberg, *loc. cit.*
(4) Levi, *Registri dei cardinali Ugolino d'Ostia e Ottaviano degli Ubaldini*, nos 113, 114, 123, 124.

plerumque etiam fratribus Templi, Hospitalis aut Sanctæ Mariæ Theotonicorum, pecuniam credidit in Orientem deferendam[1].

2° Secundum, quod distinximus, temporis spatium regna Gregorii IX, Innocentii IV, Alexandri IV, Urbani IV, Clementis IV[2] complectitur. Maxime tunc mercatura florebat : eo potissimum tempore[3] mercatorum societates per totam Europam sunt diffusæ. Nondum tamen in colligenda vel conservanda decima sese immiscebant[4]; sed collectores apostolicos assectantes, prælatis aut abbatibus, quibus ad solvendam decimam facultates deficerent, mutuam pecuniam dabant[5]. Nec mirum, si collectores mercatoribus, quorum opera facilius et celerius decima perciperetur, ita faverent, ut cum eis usurarum socii esse viderentur. « *Conabantur* (sic Matthæus Parisiensis)[6] *Rostandus*[7] *et episcopus Herefordensis et eorum complices terminum solutionis festinando abbreviare, sub pœna suspensionis et excommunicationis; quem terminum nullo modo tenere possent obligati. Sed hoc factum est, ut cogerentur prælati mutuo accipere ipsam pecuniam a mercatoribus et eorum usuris illico intricati subjacere...* ».

Longius autem evagata est argentariorum industria. Interdum quoque vel papæ, vel principes quibus a papa decima fuisset concessa, ut decimam nondum collectam statim in promptu haberent, accepta a mercatoribus pecunia colligendam eis decimam obligabant. Similiter ne pecuniam in nummis positam transvehere cogerentur, in iis regionibus ubi expendenda esset pecunia, a mercatoribus mutua sumebant, eorum sociis in regione ubi colligeretur decima restituenda. Optimum exemplum præbent, tum litteræ, quibus Ludovicus IX pollicitus est, se restituturum quæcumque mutua Erardus de Valeriaco et Gaufridus de Sarzinis in ultramarinis partibus contraxissent[8] ; tum etiam historia deci-

(1) « *Quod autem vicesimam et pecuniam aliam per fratres Templi et Hospitalis frequentius mittere consuevimus, propter hoc fit, quod nuntios alios, de quibus videamur melius posse confidere, non habemus.* » Cf. Delisle, *Mémoire sur les opérations financières des Templiers*, p. 21.

(2) Gottlob, *op. cit.*, p. 248, Clementis IV regnum sequenti periodo annectit; attamen minus recte, ut mihi videtur.

(3) Cf. *Matthæi Parisiensis Chronica Majora* (ed. Luard V, 404).

(4) Excepto tamen Huguitione dicto Matze Florentino, cui magister Rostandus jussu papæ anno 1256 decimas Anglicanas assignavit (P. 16620).

(5) Cf. Gottlob, *op. cit.*, p. 248.

(6) Ed. Luard. V, 525. — Cf. *ibid.*, p. 536.

(7) Collector decimæ in Anglia anno 1255.

(8) Servois, *Les emprunts de saint Louis en Palestine et en Afrique*, in *Bibl. Ecole Chartes*, série IV, tome IV, 123-126; Tononi, *Documents relatifs aux Plaisançais d'Orient*, in *Archives de l'Orient Latin*, II, 208.

marum, quæ in Anglia per quinquennium ab anno 1255 (1), et in Francia per triennium ab anno 1264, pro negotio regni Siciliæ fuerunt collectæ. — Anglicana decima, ut collecta fuerat, statim regi tradebatur. Ex ea tamen restituendæ erant expensæ quas pro bello Siculo gerendo fecerant Innocentius IV et Alexander IV. Plurimum Alexander a mercatoribus angebatur, a quibus vel ipse, vel Innocentius, pecuniam mutuam sumpserant; mercatores « *urgentissime et assidue* » debita repetebant, « *quæ cotidie propter usuras, penas et interesse non minima suscipiebant incrementa* (2) ». Tum, si Matthæo Parisiensi fides est adhibenda, suadente episcopo Herefordensi (3), qui tunc temporis negotia regis Angliæ apud curiam gerebat, hoc inventum fuit remedium, ut episcopus Herefordensis, auctoritate litterarum papalium (4), Anglicanorum quorumdam monasteriorum nomine, mutua a mercatoribus acciperet, eorumdem monasteriorum bona obligando. Executores deputabat papa, qui monasteria ad hujusmodi debita mercatoribus persolvenda compellerent (5). Quicquid tamen prædicta monasteria expendissent, eis vel a rege Angliæ vel de pecunia decimali restituendum erat. Legitur enim in encyclica epistola ab Alexandro IV prælatis Angliæ scripta (6) : « *nos volentes super hoc taliter providere, quod vos vel dictum monasterium ex hoc non incurretis aliquam læsionem, auctoritate presentium vobis indulgemus, ut si eumdem regem in predicte pecunie solutione*

(1) Concessio decimæ, et quidem primum triennalis et Terræ Sanctæ subsidio deputandæ, die 28 martii 1255 facta fuit (P. 15768). Jam Innocentius IV regi Angliæ decimam triennalem die 11 aprilis 1250 (P. 13950), et biennalem die 23 maii 1254 (P. 15383) concesserat. Mense maii 1255, Alexander IV Cantuariensi archiepiscopo et magistro Rostando capellano suo injunxit, ut votum crucis a rege Angliæ emissum in susceptionem negotii Siciliæ commutarent (P. 15836, 15841, 15865); et omnem pecuniam sive decimarum sive redemptionum votorum sive legatorum eidem regi assignarent (P. 15863, 15867). Anno 1256, iterum decima biennis fuit imposita (cf. Gottlob, *loc. cit.*, p. 85).

(2) *Matth. Paris.*, ed. Luard, V, 511.

(3) Cf. *ibid.*, ea quæ de « *nimis dampnosa proditione episcopi Herefordensis* » narrat Matthæus, qui, ut solet, rem ita exponit, ut interpretationem Sanctæ Sedi deterrimam commendet.

(4) Quarum formam reperies apud eumdem Matthæum (ed. Luard, V, 523).

(5) Cf. epistolam Alexandri die 28 apr. 1255 datam, de mutuo ab Aymerio Cose et sociis nomine monasterii de Waltham recepto (*Matth. Paris.*, *Additamenta*, ed. Luard, VI, 308). — Cf. P. 15872 (21 maii 1255). — Cf. epistolam die 2 aug. 1255 datam, de mutuo a Bonaventura Bernardini et sociis nomine monasterii Radingensis recepti (*Matth. Paris.*, *Addit.*, ed. Luard, VI, 305). — Cf. P. 16431 (22 junii 1256).

(6) *Matth. Paris.*, *ibid.*, V, 558. — Cf. etiam P. 16051 (12 oct. 1255), qua papa magistro Bernardo, canonico Senensi, in Anglia nuncio, scribit, ut decimam a nonnullis episcopis et abbatibus Angliæ exigat, qui pecuniam Bonaventuræ Bernardini et sociis debeant, donec de dicta pecunia satisfactum fuerit.

cessare contigerit, et vos de ipsa mercatoribus satisfacere memoratis, liceat vobis decimam vestrorum proventuum ecclesiasticorum dicto regi ab apostolica sede pro Terre Sancte subsidio deputatam usque ad quantitatem predicte pecunie quam mercatoribus solvetis eisdem ac dampnorum et expensarum que forte propter hoc incurretis, libere retinere (1) ». A monasteriis igitur nihil aliud requirebatur, nisi ut decimam ante diem solverent ; singula autem monasteria (sic enim decreverat papa) (2) non erant obligata ultra eam decimæ partem quæ eorum unicuique incumberet. Attamen magister Rostandus, summi pontificis decretum excedens, nonnulla monasteria, quorum decima non sufficeret ad solvendam Herefordensis episcopi obligationem, compulit ut residuum etiam exhiberent, de decima cleri sæcularis restituendum (3).

Hoc denique modo intelligendum videtur quænam fuerit negotii ita instituti conditio et natura. Papa mutuum a mercatoribus sumebat, quibus majoris securitatis causa non solum decimam in Anglia colligendam, sed etiam bona monasteriorum Anglicanorum pignori dabat. Similem obligationem anno 1257 mense decembris reiteravit (4).

Alia quoque contraxerat mutua bonis Romanorum monasteriorum obligatis (5) ; quæ a rege Angliæ, de proventibus decimæ, juxta conventiones inter regem et Ecclesiam anno 1255 initas (6), restituenda esse contendebat (7). Quotidie demum vel Alexandro,

(1) Cf. in *Matth. Paris.*, ed. Luard, VI, 350, epistolam qua magister Rostandus collectoribus decimæ injungit, ne decimam exigant ab abbate et conventu de Sancto Albano, cum « *satisfecerint juxta ordinationem nostram de 500 marcis sterlingorum pro obligatione in qua sibi* [scil. Maynecto Spinæ ac sociis] *fuerunt per venerabilem patrem episcopum Herefordensem in Romana curia obligati... nisi forsan ipsa decima... plus ascendat... quam summa in qua satisfecerunt mercatoribus antedictis.* »

(2) Cf. epistolam Alexandri die 18 febr. 1256 (*ibid.*, VI, 315), Rostando scriptam : ...« *nostre intentionis non fuit ecclesiam Rofensem ejusque bona nisi ad solutionem predicte decime duntaxat per contractum hujusmodi* [ab episcopo Herefordensi initum] *obligari... mandamus quatinus eisdem priore et conventu solventibus integre, ut offerunt, mercatoribus ipsis* [scil. Bonaventure Bernardini et sociis] *decimam supradictam, non permittas eos de cetero super hujusmodi debito... molestari.* »

(3) Cf. Rustandi ordinationem in *Matth. Paris.*, VI, 316; et ejus litteras pro monasterio Badingiæ (*ibid.*, 323).

(4) P. 17124.

(5) P. 16229.

(6) Cf. P. 15784, concessionem Siciliæ Edmundo filio regis Angliæ factam; rex promiserat, se « *omnes expensas ab Ecclesia pro negotio predicti regni factas hactenus, que ascendunt ad summam 135541 marcarum* » restituturum esse.

(7) P. 16540; papa magistro Rostando scribit, ut « *decimam nostro et Ecclesie Romane nomine pro exhoneratione debitorum ipsius Ecclesie, ad que idem rex Angliæ tenetur,* » colligat et conservet.

qui in acquirendum regnum Siciliæ magnos sumptus faciebat [1], vel procuratoribus regis Angliæ, necesse erat [2] ut æs alienum facerent ; creditores autem ad decimam Anglicanam assignabantur [3].

Eodem modo, cum Carolo comiti Andegavensi et Provinciæ in regem Siciliæ accito Urbanus IV decimam triennem in Francia percipiendam concessisset [4], decimæ autem « *vel male ab ecclesiis persolutæ, vel a collectoribus minus diligenter exactæ, vel in usus alios quam oportuisset expensæ* [5] » essent, rex Siciliæ vel ejus procuratores Romæ aut apud curiam Romanam morantes, a Senensibus, Florentinis, Urbevetanis, Romanis mercatoribus magnas pecuniæ summas mutuas sumpserunt, eorumdem mercatorum sociis in Francia a collectoribus decimæ restituendas [6].

Alexander IV, dum mutua quærebat, plures adierat Romanas, Florentinas aut Senenses societates ; inter quas notandæ sunt societates tum Petri Scotti Dominici, tum Jacobi de Scala, tum Bonaventuræ Bernardini. Eas tempore Alexandri aut mercaturam cameræ gessisse, aut saltem cum camera arctissima consuetudine conjunctas fuisse, supra ostendimus. Carolus I utpote prodigus et pecunia semper egens, nullam pæne mercatorum societatem non adhibuit. Attamen, operæ pretium est animadvertere, eum, cum annis 1264-1267 a diversis mercatoribus fere 200000 librarum Turonensium mutuatus sit, a sola Bonaventuræ Bernardini societate, quæ tunc temporis mercaturam cameræ exercebat, plusquam 90000 librarum recepisse. Nec mirum, mercatores cameræ pro suo officio, vel papæ vel cui papa, potissimum faveret principi, summum obsequium præstitisse.

3° Tertiam aggrediamur ætatem, qua mercatores in administrandis, conservandis, transvehendis decimis primas partes egerunt. Quasnam ob causas hanc quoque provinciam acceperint, non

(1) Cf. P. 15937.

(2) Rymer, *Fædera*, ed. Lond., 1727, I, p. 643; — P. 17134, 17290.

(3) Cf. documenta in notis duabus præcedentibus citata, necnon et P. 16051, 16416, 16865 (ex. P. 16865 apparet gravem discordiam anno 1257 exortam esse inter papam et regem Angliæ, qui de decima solutiones mercatoribus fieri nolebat).

(4) P. 18813 ; 3 maii 1264 (hæc bulla a P. perperam die 3 martii inscripta est ; cf. BFW. 9421).

(5) P. 19452.

(6) P. 19040, 19041, 19104, 19112, 19116, 19117, 19178, 19250, 19251, 19253, 19276, 19283, 19301, 19352, 19368, 19452, 19497, 19500, 19511, 19524, 19570, 19591, 19681, 19682, 19683, 19684; — Del Giudice, *Codice Diplomatico del regno di Carlo I e Carlo II d'Angiò*, I, p. 57, p. 216 ; Minieri-Riccio, *Saggio di Codice Diplomatico Angioino*, I, p. 32; — Tab. Neap,. *Reg. Ang.*, XL, fol. 4; — Tab. Vatic., *Instrumenta Miscellanea*, cap. 1250-1275.

ægre intelligitur. Romanorum enim pontificum de omnibus quæ ad decimas pertinerent ita creverat auctoritas, ut decimæ, non jam per episcopum aut clerum uniuscujusque diocesis, sed eorum, quos papa instituisset, collectorum vel subcollectorum ministerio perciperentur; et papa, nemine jam (exceptis cardinalibus) in consilium adhibito, assensu nullo ab episcopis singularum regionum requisito, pecuniam decimalem expenderet. Jam Gregorius IX et Innocentius IV partem pecuniæ, quæ ad opus Terræ Sanctæ collecta fuerat, in bello contra Fridericum II gerendo consumpserant: talia, et longe frequentius quidem ac facilius, fecerunt pontifices qui exeunte seculo XIII regnaverunt. Paulatim ergo, ac præsertim post expugnatam anno 1291 Acconensem civitatem, cum nemo esset, cui negotium crucis sincera fide assumenti et Terram Sanctam a Sarracenis recuperaturo decimæ in subsidium concederentur, cumque nulla pateret via, qua res Orientalium christianorum restitui possent ; nova apud plerosque (nonnullis quidem adversantibus) invaluit opinio : decimarum scilicet administrationem ita ad solum papam spectare, quod ei liceret decimas una cum ceteris cameræ apostolicæ proventibus libere gubernare, easque in expediendis Ecclesiæ Romanæ negotiis expendere ; ea tamen lege, ut si unquam in Terram Sanctam « generale passagium » fieret, quicquid de decimis recepisset in subsidium negotii crucis convertendum restitueret ; et interim sumptus faceret, si quos status Terræ Sanctæ exposceret.

Constat igitur pontifices ad finem XIII sæculi de pecunia decimarum multa et summi momenti negotia peregisse, quibus agendis necesse erat ut argentariorum ministerio adjuvarentur. Cum autem hinc cameræ proventus, illinc decimæ, ad majorem sensim similitudinem accederent, non ægre intelligitur eisdem cameræ mercatoribus et cameræ proventuum et decimarum administrationem pariter commissam fuisse. Res ita cessisse ut ad eum finem demum pervenerint manifestum erit, si quis attenderit, quid actum sit de decima in Lugdunensi concilio imposita (1).

Neminem fugit, Gregorium X in concilio anno 1274 apud Lugdu-

(1) De decima Lugdunensi, præter epistolas pontificum, exstat maximi momenti documentum, codex scilicet Tab. Vatic. *Collectoriæ*, 213, continens rationes collectorum qui eam collegerunt decimam. Hujus codicis partes quædam jam publici juris factæ sunt. Munch, *Pavelige Nuntiers Regnskabs-og Dagböger*, 1-14, tum catalogum collectorum, quem codex in principio præbet, tum rationes Bertrandi Amalrici, archiepiscopi Arelatensis, collectoris in Dacia et Suecia, et rationes Uguitionis, plebani de Castellione Aretino, collectoris in Norvegia, edidit. Fabre, *Les décimes ecclésiastiques dans le royaume d'Arles de 1278 à 1283* (*Annales du Midi*, 1892, p. 371) publicavit rationes Alberti, prioris de Gordanicis, collectoris in Arelatensi, Aquensi, Viennensi, Ebredunensi, Tarentasiensi et

num congregato decimam omnium ecclesiasticorum proventuum per sex annos colligendam subsidio Terræ Sanctæ deputavisse (1). Ut moris erat, iis regibus aut principibus, qui crucem assumpsissent, decimas in suis regnis collectas concessit; inter quos primus nominandus est Philippus III rex Franciæ, cui concessa fuit decima in regno Franciæ et diocesi Lugdunensi (2). Pecunia a collectore generali, Simone scilicet tituli Sanctæ Ceciliæ presbytero cardi-

Bisuntina provinciis. Compotis magistri Gerardi de Mutina, collectoris in Hungaria, Polonia et Sclavonia, reperiuntur in *Monumenta Vaticana Hungariæ*, I, 1. — Ineditæ econtra videntur rationes : 1º Petri, episcopi primum Reatini, postea Sorani, collectoris in regno Siciliæ, Sicilia et Calabria exceptis; 2º Domini Berardi de Podio, collectoris in Campania, Maritima, Romania, ac in Sabinensi, Penestrina, Tusculana, Albanensi, Portuensi, Tiburtina et Reatina diocesibus; 3º Magistri Venturæ, collectoris in Lombardia, in locum magistri Arditionis decani Nicosiensis, qui vacante Ecclesia inter Johannem XXI et Nicolaum III decesserat, substituti ; 4º Magistri Alcampi, prepositi Pratensis, collectoris in Tuscia et Maremma ; 5º Fratris Johannis de Derlintona, ordinis Prædicatorum, postea archiepiscopi Dublinensis, et magistri Arditionis, collectorum in Anglia; ac postea magistri Giffredi de Vezano, qui prædictis Johanni et Arditioni successerat; 6º Magistri Benenati de Lavania, collectoris in regnis Aragoniæ et Navarræ; 7º Baiamundi de Vitiis, collectoris in Scotia. — Desunt in codice rationes : 1º Simonis cardinalis Sanctæ Ceciliæ collectoris in Francia; 2º Episcopi Ovetensis, collectoris in regnis Castellæ ac Legionis (regibus tum Franciæ, tum Castellæ decimas suorum regnorum concessas fuisse infra ostendemus); 3º Geraldi, archidiaconi Bracharensis, collectoris in Portugallia ; 4º Episcopi Cluanfortensis, collectoris in Hibernia ; 5º Magistri Raynerii, præpositi Clavasii, collectoris in Coloniensi, Bremensi, et Magdeburgensi provinciis ac diocesi Caminensi, cui subrogatus fuit Theodericus, prior Sancti Andreæ de Urbeveteri; 6º Ejusdem Theoderici, collectoris in Treverensi et Maguntina provinciis ; 7º Alironis de Riccardis, collectoris in Salzburgensi provincia ac Pragensi, Olomucensi, Eistetensi et Bambergensi diocesibus, provinciæ Maguntinæ ; 8º Abbatum Vacelliensis ac Sancti Auberti Cameracensis, ac Johannis de Brueriis, collectorum in Cameracensi diocesi et Flandria; 9º Archipresbyteri Turritani ac postea archiepiscopi Arboreæ, collectorum in Sardinia et Corsica; 10º Leonardi archidiaconi Spoletani, ac postea Benvenuti de Urbeveteri, collectorum in Patrimonio, Ducatu, Romaniola et Massa Trabaria; 11º Archiepiscopi Cretensis, collectoris in insula Cretensi; 12º Episcopi Olenensis, collectoris in Achaia ; 13º Episcopi Paphensis, collectoris in regno Cipri. — Ad ejusdem decimæ Lugdunensis collectionem pertinent : *Liber Decimationis Cleri Constanciensis de anno 1275*, ed. a Haid in *Freiburger Diöcesan. Archiv*, I. — *Libellus decimationis de anno 1285*, ed. a Hauthaler (*Programm des Collegium Borromæum in Salzburg*, 1887). — Rationes magistri Alironis de Riccardis, publicatæ sunt a Steinherz, *Die Erhebung des Lyoner Zehnten im Erzbisthum Salzburg* (1282-1285), in *Mittheilungen des Instituts für Œsterreichische Geschichtsforschung*, 1893, p. 75; ad fidem alterius codicis in registro Avenionensi septimi anni Benedicti XII compaginati (cf. de Loye, *les Archives de la Chambre apostolique au XIVe siècle*, p. 202); qui diversi penitus generis ac *Collectorie* 213 de solutionibus mercatoribus factis nihil affert.

(1) Bullam, qua Gregorius decimam indixit, hucusque ignotam, reperies apud Finke, *Concilienstudien zur Geschichte des XIII Jahrunderts.*

(2) Hanc concessionem commemorat Gregorius X in epistola die 31 julii scripta (Langlois, *Le règne de Philippe le Hardi*, p. 419); litteræ autem exinde confectæ (quæ deperditæ videntur), post diem 31 julii conscriptæ fuerant, ut ex epistola Martini IV (K. 238) manifestum est.

nali [1], percepta, apud Templum Parisiense deposita fuit; ea lege, ut in subsidium regis, si quando ipse transfretaret, converteretur [2]; nihil tamen interim de ea expenderetur a rege, nisi permittente papa, nec a papa, nisi assentiente rege. Cum tamen nunquam profectus sit Philippus, decima in alios usus fuit consumpta. Supra narravimus [3], Martinum IV anno 1283 centum millia librarum Turonensium de pecunia decimali a rege mutuatum esse, et in bello Romanolæ gerendo impendisse. Rursus eodem anno papa regi indulsit, ut et ipse ejusdem pecunia partem mutuam sumere et in negotium Aragoniæ convertere posset [4]. Quin etiam partem ei concessit decimæ Cisterciensis ordinis, quam sibi Gregorius X, si unquam in subsidium Terræ Sanctæ transfretavisset, reservaverat, et apud Templum Parisiense deponi jusserat [5]. Nicolaus IV pluries apud Philippum precibus institit, ut decimæ sibi concessæ residuum necnon et decimam Cisterciensem nunciis apostolicis assignaret in subsidium Terræ Sanctæ expendendum; nisi vel Terræ Sanctæ custodiam, usque ad tempus generalis passagii, suscipere, vel signum crucis assumere vellet [6]. Quas preces regem non exaudisse, constat; nam Celestinus V iterum decimam Cisterciensem, frustra quidem [7], repetivit; magnæ quoque difficultates, ut infra monstrabimus, inter Bonifacium VIII et Philippum de decimis sunt exortæ; demum Clementi V necesse fuit, ut iterum regem urgeret; inutiliter tamen, ut manifestum videtur ex libello [8], quem annis ferme 1307-1314 consiliarius quidam cameræ compotorum, petente rege Philippo IV, composuit. Nam in hoc libello plane asseritur, regem Franciæ decimæ causa nihil omnino papæ debere. « *Et est à sçavoir que par l'ordonnance que le dict pape Gregoire fist* [9], *les*

(1) Qui postea Martinus IV.

(2) Litigatum fuit inter regem et sedem apostolicam, num expensæ, quas Philippus III, juxta conventionem inter eum et Gregorium X initam (cf. infra), ante tempus generalis passagii ad conservandum Terræ Sanctæ residuum fecisset, in decima regni Franciæ computari deberent. Martinus IV die 19 maii 1282 (K. 238), decrevit prædictas expensas in decima minime computandas esse.

(3) Cf. supra, p. 64.

(4) Cf. ARCH. NAT. PARIS., J. 446, nº 34, epistolam qua Martinus J. de Turno, thesaurario Templi Parisiensis, injungit ut de pecunia decimæ apud Templum custoditæ mutuum regi concedat, ad mandatum papæ sine dilatione restituendum.

(5) Cf. Langlois, *op. cit.*, p. 419; Delisle, *op. cit.*, p. 112.

(6) *Reg. Nic. IV*, 4300-4302 (24 apr. 1290); 4409-4414 (5-19 dec. 1290); 6779-6780 (24 aug. 1291).

(7) *Reg. Bon. VIII*, 202.

(8) *Recueil des Historiens de France*, XXI, 529-531.

(9) Hæc Gregorii X ordinatio, quæ deperdita videtur, immutata fuit in alteram, quam infra commemorabimus.

despens lors faictz et qui estoient à faire jusques au général passage, et cinquante mille marcs d'argent que le roy de France avoit prestez au pape pour l'ayde de la dicte Terre saincte, devoient estre prises sur le disième de chascun royaume de la crestienté, sur chacun telle portion comme il est ordonné à lever sur tous bénéfices de iceuls royaumes. Et puis le pape Martin qui après vint, déclara que ils fussent pris sur les diesmes octroyés ès autres royaumes que en celuy de France [1] *: par quoy il semble que le pape n'en puet ne ne doit rien demander au roy qui ores est. Car le roy Philippe, son père, entreprist la voie de la dicte Terre Saincte, laquelle il ne pot accomplir pour la mort, de quoy il doit estre tenu pour excusé; car à la requeste de l'Eglise il entreprist la voie d'Arragon, en laquelle il mourut. Et plus que le pape Martin, quand il vousist sçavoir et oïr compte et raison des mises faictes pour la voye de la dicte Terre Saincte* [2], *il ne voulust sçavoir ne ne demander compte du dict disième que le pape Grégoire avoit octroyé à six ans, lequel sçavoit mieus les circonstances de la besoigne que nul autre : car luy mesme en avoit esté exéquuteur* ».

Pars etiam decimarum, quæ extra regnum Franciæ collectæ fuerant, ad manus regis Franciæ pervenerant. Gregorius enim X, « *attendens* (sic Nicolaus III in epistola die 31 martii 1280 data) [3] *quam sit expediens ad liberationem Terræ Sanctæ illud Terræ ipsius residuum, quod christianitas obtinet, usque ad tempus generalis passagii conservare* », a rege Franciæ impetraverat, ut necessarias expensas ministraret ; « *ad satisfaciendum* » autem « *de predictis expensis, factis et usque ad idem generale passagium faciendis, medietatem omnium, que de ipsa totali decima percepta seu percipienda in regnis et terris quibuslibet* [4], *collecta erant seu etiam colligenda ratione primi anni ejus temporis, per quod...... ipsa decima predicto est deputata subsidio...... deputavit* [5] ». Collectoribus ergo qui in diversis Europæ regionibus decimam exigebant, a summis pontificibus injunctum fuit, ut dimidiam partem decimæ primi anni in Franciam transmitterent

(1) K. 238.

(2) Rationes quas magister Gaufridus de Templo Martino IV reddidit publici juris fecit Langlois, *Le règne de Philippe le Hardi*, p. 444.

(3) K. 225.

(4) Excepto tamen, ut ex K. 225 et 238 apparet, solo regno Castellæ et Legionis, cujus decima regi Castellæ, ut infra dicemus, fuerat assignata.

(5) Litteræ Gregorii X de hoc confectæ deperditæ videntur. Apparet ex K. 225 et 238 eas post P. 21083 (14 oct. 1275) promulgatas fuisse. Eas, necnon et priorem ac paulo diversam Gregorii ordinationem commemorant tum K. 225, 238, tum etiam K. 108-109. Cf. quoque epistolam Martini IV apud Langlois, *op. cit.*, p. 444; et libellum supra, p. 78, memoratum.

Philippo regi assignandam; quod ut fieret, nulla melior via patebat, quam si pecunia mercatoribus traderetur. Exstant adhuc epistolæ [1] quibus Nicolaus III, mandata Johannis XXI confirmans, Rogerio de Merlomonte et Raynerio, preposito Clavasii, scripsit, qui decimam colligebant, hic in Bremensi, Coloniensi et Magdeburgensi provinciis, ille in Maguntina, Treverensi et Salzburgensi archiepiscopatibus, ut prædictam dimidiam partem Frescobaldis et Alfanis, mercatoribus Florentinis, assignarent [(2)]. Similes litteras aliis collectoribus scriptas fuisse testantur rationes collectorum [(3)]. In compotis prioris de Gordanicis legitur [(4)] : « *Et est sciendum quod dictus prior fecit solvi et restitui domino regi Francie de pecunia decime... pro medietate decime primi anni in diversis monetis V*^m^*VI*^c^ *LVIIII libras XVI solidos et XVI den. Turonensium* ». Episcopus Reatinus « *MLXXIX uncias XIIII tar. et grana III auri dedit de mandato domini pape Johannis XXI, prout apparet per litteras suas bullatas, mercatoribus de societatibus Rizardorum de Luca et Mozorum de Florentia pro medietate decime primi anni* [(5)] ». Berardus de Podio « *pro medietate decime primi anni solvit et dedit mercatoribus de societatibus Rizardorum de Luca et Mozorum de Florentia VIIII*^c^ *LVIII libras XVIIII sol. et V den. provisinorum; que pecunia per Ecclesiam Romanam regi Franciæ concessa fuit pro servitio Terre Sancte* [(6)] ». Bertrandus Amalrici CCCLIX marchas argenti pro medietate decime primi anni persolvit [(7)]. Eadem de causa, magister Arditio (Lombardiæ collector) VI^M^VI^C^XVI libras II sol. et VIII den. Tur. Mozis [(8)]; prepositus Pratensis VIII^M^VII^C^XXVII libras et IIII solidos Pisanorum, Battusis Lucanis [(9)]; collectores in Anglia VIII^M^VII^C^LXXXVI libras XII den. et obol. sterlingorum sociis Thomæ Spiliati et Hugonis Spinæ [(10)]; Benenatus de Lavania

(1) K. 108 (13 febr. 1278) et 109 (5 apr. 1278).

(2) Eadem ratione explicandum censeo, cur Gregorius X die 27 oct. 1275 archiepiscopo Ebredunensi, generali collectori in Alamannia, scripserit, quod collectam pecuniam Scottis traderet (K. 93; cf. apud Gottlob, *op. cit.*, p. 247 n. instrumentum quo constat Rogerium de Merlomonte anno 1276 apud Constantiam Rolando de Ripalta de societate Bernardi Scotti 1770 marcas tradidisse).

(3) Errat ergo Gottlob, qui putat ex Alamannia præsertim pecunia in Franciam delatam fuisse.

(4) Fabre, *loc. cit.*, p. 375.

(5) Tab. Vatic., *Collectoriæ*, 213, fol. 2.

(6) *Ibid.*, fol. 4.

(7) Munch, *op. cit.*, p. 10.

(8) Tab. Vat., *Collectoriæ*, 213, fol. 5 v°.

(9) *Ibid.*, fol. 12 v°.

(10) *Ibid.*, fol. 16 v° (i. e. Mozis).

VI^M^XLIII libras IIII solidos et VI den. Turonensium (quibus mercatoribus, non exprimitur) (1) ; Baiamundus de Vitia MCXXXVII libras XVIII den. et obol. sterlingorum (2), Circulis persolverunt. Diversis ergo mercatoribus collectores pecuniam tradebant ; quæ tamen pecunia, in Franciam transvecta, et mercatoribus de societate Thomæ Spiliati assignata, ab eis apud Templum Parisiense deponebatur. Legitur enim in rationibus anno 1283 inter Martinum IV et Philippum confectis (3) : « *Item a mercatoribus nostris de societate Thome Spiliati de Florentia recepit [rex Francie] Parisius apud Templum de medietate decime collecte extra regnum Francie dum adhuc essemus in Francia* (4), *XL^M^VI^C^LVI libr. VII sol. VIII den. Tur. — Item recepit Parisius apud Templum post recessum nostrum de Francia a dictis mercatoribus de medietate suprascripta XXI^M^V^C^LXXXIX libr. IV sol. VIII den. Tur.* (5) ».

De hujusmodi igitur pecunia, anno 1283, Martinus IV rationem a Philippo III repetivit. Inventum fuit, Philippum III in Terra Sancta custodienda 216276 libras, 2 solidos 6 denarios expendisse (computatis 50000 marcis argenti, id est 125000 libris, quas Gregorio X ante Lugdunense concilium mutuas dederat) ; recepisse autem de medietate decime primi anni et veteri decima concessa Ludovico IX 95120 libras, 36 solidos, 1 denarium. Regi igitur 121154 libræ 6 solidi 5 denarii debebantur (6) ; de decimis, quæ nulli alii principi concessæ fuissent, restituendæ. Frustra tamen debitum hujusmodi Philippus repetivit (7) ; quin etiam, teste illo, quem jam memoravimus, libello, annis 1307-1314 confecto, a 1283 usque ad civitatis Acconensis expugnationem 202208 libras 17 so-

(1) Tab. Vat., *Collectoriæ*, fol. 22 (cf. *Reg. Vat.*, 38, fol. 33 v°).
(2) *Ibid.*, fol. 28 v°.
(3) Langlois, *op. cit.*, p. 444.
(4) Hinc videre est, quam in longum ducta fuerit decimæ perceptio. Cardinalem enim Sanctæ Ceciliæ (qui postea Martinus IV), nonnisi post diem 9 junii 1279 Nicolaus III a legatione revocavit (K. 225 n.). Infra dicemus, etiam post 1283 regem Franciæ pecuniam de medietate primi anni recepisse.
(5) Cf. epistolam die 3 julii 1282 datam, qua Martinus IV archiepiscopo Rothomagensi injungit, ut residuum medietatis decimæ primi anni a sociis Thomæ Spiliati accipiat et regi in recompensationem expensarum assignet (Arch. Nat., J. 446, n° 33).
(6) Langlois, *op. cit.*, p. 444; — *Hist. de France*, XXI, p. 530. — Cf. Gottlob, *op. cit.*, p. 126-127. Notandum quod papa 102485 libras 7 solidos 1 den. Tur., quas rex vel a 1270 ad 1276 de veteri decima Ludovico IX concessa, vel post 1270 de veteri vicesima, centesima, obventionibus, etc., receperat, de pecunia regi debita detrahere scienter omisit, dictam summam regi concedens, non in donum, sed in Terræ Sanctæ subsidium, cum personaliter transfretaret, convertendam.
(7) Manifestum enim ex epistola Martini 30 oct. 1284 data (Arch. Nat., J. 714, n° 305; cf. Langlois, *op. cit.*, p. 355). Philippo tunc nondum satisfactum fuisse.

lidos expensis, 73134 tantum libras 12 solidos 8 denarios receperant [1] reges Franciæ. Regi demum satisfactum fuisse, et quidem, ut videtur, de decima in concilio Viennensi imposita, ex eo apparet, quod mutatis conditionibus, anno 1314 rex 100000 florenos cameræ apostolicæ deberet [2].

Aliis quoque regibus sui regni decimæ concessæ fuerant. Die 13 octobris 1275 [3] Gregorius X Carolo regi Siciliæ decimas regni Siciliæ et Provinciæ ac Forcalcherii comitatuum; die 14 octobris [4], Alfonso X decimas regnorum Castellæ ac Legionis ; die 14 novembris [5], regi Angliæ decimas Angliæ, Walliæ et Hiberniæ (necnon et Scotiæ, si tamen rex Scotiæ assentiret), indulsit. Innocentius V regi Scotiæ decimas Scotiæ [6] ; Johannes XXI regi Aragoniæ decimas Aragoniæ concesserunt [7]. Regibus Aragoniæ et Castellæ data licentia, ut decimas in bello contra Sarracenos Africæ et Hispaniæ gerendo consumerent. Supra monuimus, dimidiam partem decimæ primi anni (exceptis Castellæ et Legionis regnis), in Franciam missam fuisse.

Decimæ vero in illis regionibus collectæ, quarum domini crucem minime assumpserant, excepta illa dimidia parte decimæ anni primi, quæ regi Franciæ assignata fuerat, in potestate papæ remanebant. De iis autem, ante Martini IV tempora, admodum pauca comperimus. Constat saltem Gregorium X et Johannem XXI ex eis, antequam generale fieret passagium, Terræ Sanctæ subvenisse [8].

Collectæ tamen pecuniæ pars longe major (sive decima principi cuidam concessa fuisset, sive non) ut moris erat [9], in regionibus ipsis, ubi collecta fuerat, et quidem plerumque apud monasteria, deposita remansit. Hoc plures pontificum epistolæ comprobant. Johannes XXI Rogerio de Merlomonte scripsit, ut decimam in

(1) *Hist. de France*, *loc. cit.*

(2) Cf. Gottlob, *loc. cit.*, p. 129; Ehrle, *Process über den Nachlass Clemens V*, in *Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters*, V.

(3) P. 21082.

(4) P. 21083. Cf. autem K. 48, 49, 88.

(5) P. 21086.

(6) Gottlob, *op. cit.*, p. 112.

(7) P. 21242 (12 apr. 1277). Non tamen regi Aragoniæ concessum, ut de tota decima libere disponeret, sed Narbonensi et Arelatensi archiepiscopis commissum, ut, si expedire vidissent, de decima regi subvenirent.

(8) Die 26 sept. 1275, Erardo de Valeriaco 2000 marcarum sterlingorum de decimis Navarræ concessit Gregorius (P. 21079). Johannes XXI Johanni de Graliaco 7000 libr. Tur. (*Reg. Vat.* 38, fol. 2), Johanni Bertaldi, domino de Nangiaco, Siciliæ conestabulo 3000 marcarum sterlingorum (*ibid.*, fol. 4) concessit.

(9) De hac consuetudine cf. Gottlob, *op. cit.*, p. 244.

Minorum aut Predicatorum conventibus deponeret [1]. — Nicolaus III episcopum Eugubinum, collectorem in Spoletano Ducatu, Patrimonio, Romaniola et Marchia Anconitana, decimam *in locis tutis* deponere jussit [2]. In rationibus collectorum, quas liber *Collectoriæ* 213 continet, persæpe de depositis vel penes ipsos collectores vel in sacris ædibus factis mentio habitur. Commemorandum præsertim videtur documentum, quod v. cl. Steinherz nuper edidit [3] : recognitio scilicet a magistro Alirone, decimæ collectore, confecta, saccorum quorumdam in sacrario ecclesiæ Sancti Petri Salzburgensis depositorum, et pecuniam decimæ provinciæ Salzburgensis continentium.

Martino autem IV, ut Romaniolam Ecclesiæ Romanæ ditioni subjiceret, ac Carolo I contra rebelles Siculos bellum gerenti opem præberet, necesse fuit, ut tum a mercatoribus Italicis immensam pecuniam, obligatis cameræ bonis, mutuam sumeret [4], tum decimas, neglecta Terra Sancta, in bella gerenda converteret. Nostri non est muneris, ut historiam belli Siculi, a doctissimis viris conscriptam, iterum exponamus. De iis tantum, quæ ad rem nummariam pertinent, disseremus [5].

Non cujuslibet regionis decimas sibi papa usurpavit. Concessionum enim a prædecessoribus factarum aliquas servavit. De decima Castellæ, teste Nicolao IV, nihil unquam ad Ecclesiam Romanam pervenit [6]. De decima Franciæ, ut supra monuimus, 100000 librarum Turonensium, assentiente tamen Philippo III, mutua sumpsit. Decimam Anglicanam occupare tentavit; rex vero, die 24 maii 1282 [7], vetuit ne pecunia decimalis ullo modo extra regnum eveheretur. Mox etiam, paucis elapsis mensibus, pecuniam ipsam violenter occupavit. « *Pecuniam decimæ* (sic Martinus in epistola die 5 julii 1283 scripta) [8]...... *quæ per collectores a Sede Apostolica deputatos, in sacris tutisque locis deposita..... servabatur, de locis ipsis sigillis serisque violenter effractis quibus*

(1) P. 21225.
(2) P. 21483.
(3) *Die Einhebung des Lyoner Zehnten im Erzbisthum Salzburg, 1282-1285*, in *Mittheilungen des Instituts für Œsterreichische Geschichtsforschung*, 1893, p. 58.
(4) Die 2 aug. 1282 (*Reg. Vat.* 42, fol. 33), papa mutuum 25000 libr. Tur., quod Berardus camerarius a Riccardis acceperat, confirmavit. Alia quoque mutua mensibus septembris et octobris a Scottis, Frescobaldis, Scalis, Riccardis, Bardis, Alfanis, Circulis, aliisque Lucanis aut Senensibus mercatoribus, sumpta (*Ibid.*, fol. 36 v°, 37, 37 v°).
(5) Cf. Amari, *La guerra del Vespro Siciliano*; Gottlob, *op. cit.*
(6) *Reg. Nic. IV*, 6857.
(7) Rymer, *Fædera*, ed. 1727, II, 201.
(8) P. 22047.

loca eadem firmabantur, motu proprio, ne dicamus temerario, pecunie prefate custodibus renitentibus et invitis, totaliter amoveri et ad certum locum pro tue libito voluntatis ...... asportari fecisti ». Longi inde inter regem Angliæ et Sanctam Sedem habiti tractatus, regnantibus Martino IV, Honorio IV, Nicolao IV; tandem pactum fuit, quod rex Angliæ in generali passagio (quod in festo Nativitatis beati Johannis Baptistæ anni 1293 præfixum fuerat) transfretaret; papa autem regi, tum decimam Lugdunensem « *collectam in Anglie ac Scotie regnis, et Wallie ac Hybernie terris pro subsidio dicte Terre in duobus terminis* » assignaret, « *videlicet medietatem ipsius in festo Nativitatis beati Johannis Baptiste anno Domini M°CC°LXXXX°I°, et medietatem reliquam in festo Nativitatis ipsius sancti extunc proxime secuturo* »; tum etiam novam decimam in eisdem regnis et terris, per sex annos colligendam a die 24 junii 1291, concederet (1). Papa igitur, die 18 martii 1291 100000 marcarum sterlingorum, de pecunia decimæ Anglicanæ extra regnum deposita, per Riccardos, mercatores cameræ, regi assignari jussit (2). Hæ causæ fuerunt, cur Martinus ceterique pontifices, qui ei successerunt, decimam Anglicanam nec in Romaniola nec in Sicilia expenderint (3).

Quod attinet ad decimas Aragoniæ et Siciliæ, res aliter se habuere. Carolo I indultum fuisse, ut decimas Provinciæ et Siciliæ, quæ sibi in subsidium negotii crucis concessæ fuissent, contra rebelles adhiberet, nemo mirabitur, qui sciat, quanta amicitia Martinus IV et Carolus I conjuncti fuerint, quanti momenti apud pontifices esset conservanda Carolo I Siciliæ possessio.

Pars decimæ in Aragonia collectæ jam Petro regi fuerat tradita, juxta Johannis XXI concessionem, ante sententiam die 21 martii 1283 latam (4), qua Martinus Petrum, utpote rebellium Siculorum fautorem, regno privavit. Legitur in rationibus magistri Benenati de Lavania (5) : « *Summa pecunie dicte decime per dictum dominum Benenatum collectorem regi Aragonum... mutuate ascendit ad XIII^MVIII^CLXXXV libr. X sol. et V den. Tur. parvorum, de quo mutuo exstant pignora valentia, ut dicitur, multo magis, que sunt apud mercatores camere* ». Facile tamen intelligitur, concessionem Johannis per sententiam Martini abrogatam fuisse.

(1) P. 23606-23609 (18 martii 1291).

(2) P. 23610-23611. Utrum pecunia illa ante edictum a rege 24 maii 1282 publicatum, e regno evecta fuerit, an posterius, edicto revocato, nescio.

(3) De Bonifacio VIII vide infra.

(4) P. 21998.

(5) TAB. VAT., *Collectoriæ*, 213, fol. 85.

Decimis ergo tum Aragoniæ et Siciliæ, tum earum regionum, quarum decimæ nulli principi concessæ fuerant, libere usus est Martinus IV, murmurantibus quidem nonnullis, nemine tamen resistente.

Hoc primum curæ habuit, ut tota pecunia decimalis, antehac apud monasteria aut collectores deposita, mercatoribus traderetur. Raynerio de Orio, præposito Clavasii, collectori in Coloniensi, Bremensi et Magdeburgensi provinciis ac in diocesi Caminensi die 1° octobris 1282 (1) scripsit ut 8000 millia marcarum argenti, mox (ante diem 10 nov. 1283) (2) ut totam, quam collegisset, pecuniam, sociis Thomæ Spiliati et Hugonis Spinæ traderet. Idem Theodorico, priori Sancti Andreæ Urbevetani, qui fuerat in locum Raynerii subrogatus, die 28 novembris 1284 fuit injunctum (3); cui, cum esset antea collector in Maguntina et Treverensi provinciis, papa præceperat, ut « *totam decimam collectam et etiam colligendam... aliquibus mercatoribus Florentinis aut Senensibus vel Lucanis seu Pistoriensibus de quibus videris expedire... assignare procures* (4) ».

Eodem modo scripsit Martinus archiepiscopo Nidrosiensi in Norwegia collectori, ut decimam Raynutio Runsini, Bartholino Corsi, Raynutio Venture et Jacobo Traditionis, de Squarcialupi, necnon Thedaldino dicto Mangialmachi, Donato Lamberti, Orlando Cianchocti et Masseo Roscionpelli de Guiditionis de Luca societatibus (5) ; Gerardo archidiacono Bracarensi in Portugallia collectori, ut æquis portionibus Ammannatis Pistoriensibus ac Cardellinis necnon et Battesis Lucanis (6) ; Baiamundo canonico Astensi in Scotia collectori ut Circulis, Frescobaldis et sociis Lamberti Abbatis (7), decimas traderent. Aliarum regionum qui mercatores decimas acceperint (jubente, ut arbitror, papa, quanquam de hoc litteræ pontificiæ non exstent) ex rationibus collectorum discimus.

(1) K. 247.
(2) K. 258.
(3) K. 264.
(4) K. 250 (13 jan. 1283).
(5) P. 21900 (15 maii 1282). Archiepiscopum minime paruisse ostendunt rationes plebani de Castellione Aretino qui ei in collectoria successit (Munch, *op. cit.*, p. 12) : « *De pecunia quam collegit et colligi fecit nichil deposuit apud aliquos mercatores, sed pecuniam que pervenit ad manus suas deposuit apud ecclesiam suam, aliam dimisit penes collectores.* »
(6) P. 21943 (11 nov. 1282).
(7) *Reg. Vat.* 42, fol. 86 v° (11 martii 1284). Qua epistola patet Baiamundum partem quoque pecuniæ apud Pulices et Rimbertinos deposuisse. Rationes Baiamundi (*Collectoriæ* 213, fol. 28 v°), comprobant eum postmodum, jubente, ut opinor, Honorio IV, Riccardos quoque ac socios Thomæ Spiliati ac Bonaventuræ Bernardini depositarios adhibuisse.

Decima Hungariæ, Poloniæ et Sclavoniæ Alfanis Florentinis assignata fuit [1]; decima Suetie et Dacie, socus Johannis de Crusolis de Montepessulano [2]; decima Arelatensis, Aquensis, Viennensis, Ebredunensis, Tarentasiensis et Bisuntinæ provinciarum inter societates Bonaventuræ Bernardini, Johannis de Crusolis, Clarentum, Ammannatorum Pistoriensium ac Baccusorum sive Battesorum Lucanorum et Henrici Recuperi Senensis divisa [3]; decima Siciliæ, distributa inter Frescobaldos, societatem Thomæ Spiliati, Battesos, Riccardos, ac Squarcialupos necnon et Cardellinos Lucanos, ac septem alias Lucanas societates, scilicet Dini Sbarræ, Bonajutæ Tincosini, Netti Bulgarini, Paganucci Guiditionis, Bonfilii Manfreducii, Ghetti Honesti et Adjuti Rossimpelli [4]; decima Corsicæ et Sardiniæ, Riccardis data [5]; decima Arigoniæ et Navarræ, Clarentinis, Ammannatis, Bonsignoribus, Battesis, Henrico Recuperi et Raynaldo Petrutii Senensibus, Lapo Faxulli et Bindo Guiandoni Florentinis, Arnaldo de Bastida et Berengario de Fenestris Barchinonensibus [6]; decimæ Campaniæ, Maritimæ et Romaniæ, Lucanis [7]; decimæ Lombardiæ Pulicibus et Rimbertinis [8]; decimæ Tusciæ « *quibusdam mercatoribus* [9] » quorum nomina non exprimuntur. — Decimæ igitur, principio saltem, inter quamplurimos mercatores divisæ.

Si fides esset adhibenda litteris, quas Martinus die 13 januarii 1283 [10] Theodorico priori Sancti Andreæ Urbevetano scripsit, ea potissimum inductus ratione decimam mercatoribus assignari jussit, ut pecunia tutius servaretur. Suspicor tamen, Martinum inanem hanc causam finxisse, ut veram dissimularet. Revera id quærebat, ut decima apud mercatores deposita facilius ad curiam transmitteretur ; et mercatores, decimali pecunia pignoris loco

(1) *Mon. Vat. Hungariæ*, I, 11; cf. *Reg. Vat.* 42, fol. 78.

(2) Munch, *op. cit.*, p. 12; *Reg. Vat.* 42, fol. 92 et 105 v°. — De Johanne de Crusolis cf. Delisle, *op. cit.*, 162-211 (*Journal du Trésor du Temple*).

(3) Fabre, *loc. cit.*, 377-379; cf. *Reg. Vat.* 42, fol. 77 v°-79.

(4) *Reg. Vat.* 42, fol. 77 v°-79 et 93 v°. — Cf. *Collectoriæ*, 213, fol. 1-2.

(5) *Ibid.*, fol. 78 v°.

(6) *Ibid.*, fol. 93 v°; *Collectoriæ*, 213, fol. 22-25.

(7) *Ibid.*, fol. 4.

(8) *Ibid.*, fol. 6.

(9) *Ibid.*, fol. 12 v°.

(10) K. 250 : «... *Tutius et securius esse dinoscitur, ut decima ipsa in partibus collecta predictis extra ipsius regni limites conservetur, cum ad occupationem ejus quamplures de partibus illis libenter manus extenderent, nisi eos timor regius cohiberet...* » Jam, ut ex eadem patet epistola, percrebuerat rumor, papam decimam « Terre Sancte subsidio deputatam in usus alios nequiter » convertere. Ea causa est, ut arbitror, cur interdum depositarii a quibus pecunia repetebatur impedimenta intulerint (cf. K. 237).

accepta, libentius mutuam darent pecuniam, in bello contra Romaniolam gerendo expendendam, vel in subsidium regis Siciliæ convertendam.

Martinum IV magnam decimalis pecuniæ partem in bello Romaniolæ consumpsisse, plures testantur sæculi XIII scriptores (1). Hæc causa fuit (ut opinor, quanquam evidentia argumenta afferre nequeam), cur semel ac sæpius, annis 1282-1283, ingentes summas ex decima redactas mercatoribus cameræ assignari jusserit. Die 21 maii 1282, episcopi Albanensis et Penestrinus necnon et cardinalis tituli Sanctæ Mariæ in Cosmedin (2), mercatoribus injunxerant, qui pecuniam decimalem in deposito custodirent, ut partem ejusdem pecuniæ tribus societatibus Thomæ Spiliati, Bonaventuræ Bernardini et Pulicum ac Rimbertinorum traderent (3). Die 18 julii 1283 (4), papa mandatum eorumdem cardinalium confirmavit, quo nonnullis mercatoribus, qui pecuniam quamdam ad Terram Sanctam spectantem asservabant, injungebatur, ut eam societati Bonaventuræ Bernardini assignarent. Suspicor, papam eo consilio talia jussisse, ut mercatoribus cameræ pecuniam restitueret, quam, ut ex officio tenebantur, Ecclesiæ ministravissent.

Utcumque se res habuerit, constat, illos saltem 5000 florenos auri, quos Martinus IV die 4 novembris 1283 (5), a mercatoribus de societate Johannis de Crusolis mercatoribus cameræ assignari jussit, in gerendis Ecclesiæ negotiis consumptos fuisse. Legitur enim in compotis prioris de Gordanicis (6) : « *Item prefatus Guilielmus de Fagis, de societate Johannis de Crusolis, de pecunia dicte decime... que erat in depositum apud ipsum assignavit et solvit Thure de Senis, Dino et Ammanato de Florentia ac Vanto de Luca, mercatoribus camere, ad mandatum domini camerarii predicti, V^M flor. auri, ut ea in depositum pro Romana Ecclesia custodirent. Sed ipsa postmodum de mandato domini pape fuerunt missa ad Urbem pro favore negotii regni Sicilie pro emendo frumento in subsidium populi Romani* (7) ».

(1) Cf. Gottlob, *op. cit.*, p. 118-119 v°.

(2) His de singulis, quæ decimam contingebant, negotiis, relatio fiebat, teste codice cui titulus *Collectoriæ*, 213 (cf. Fabre, *op. cit.*, p. 372).

(3) *Reg. Vat.* 42, fol. 31 v°.

(4) *Ibid.*, fol. 59. Hæc nomina mercatorum, qui mandatum hujusmodi exsecuti sunt : Scotti et Rusticatii, Placentini; Beturi et Battesi, Lucani; Circuli et Scali Florentini; societas Johannis Abayamontis et Bertrandi Orlandini de Urbeveteri.

(5) *Reg. Vat.* 42, fol. 70.

(6) Fabre, *op. cit.*, p. 379.

(7) De inopia frumenti, quæ causa fuit, ut mense januarii 1284 populus Romanus contra vicarium regis Caroli in seditionem prorumperet, cf. Amari, *La Guerra del Vespro Siciliano*, 9am ed., II, 30.

Manifestum igitur ex præmissis, summum pontificem, si quando pecuniam ad opus Terræ Sanctæ perceptam in proprios usus averteret, mercatores cameræ adhibuisse. Illa decimarum pars, quam papa sibi assumeret, una cum reliquis Ecclesiæ Romanæ proventibus ab Ecclesiæ mercatoribus procurabatur.

Nunc de mutuis (1), quæ de pecunia decimali papa regi Siciliæ concessit, qua ratione dispensata fuerint inquirendum. Plurimam de hoc lucem afferunt tum Martini IV registrum, tum liber cui titulus *Collectoriæ* 213.

1° Primus quidem, « *de domini papæ beneplacito et mandato* » Balionus Roscilionis Lucanus (qui societati Battesorum præerat), 15608 uncias auri, 18 tarenos et 2 grana Carolo principi Salernitano commodavit (2) ; unde Martinus die 28 aprilis 1283 Berardo camerario apostolico præcepit, ut eos, qui pecuniam decimæ in Hungaria, Sicilia, Sardinia, Corsica et comitatibus Provinciæ et Forcalcherii collectæ depositi nomine conservarent, compelleret, ut eam Balliono Roscilionis traderent (3). Idem iniunxit, die 21 junii, de decimis Aragoniæ, Navarræ, et Viennensis, Arelatensis, Aquensis, Ebredunensis, Tarentasiensis ac Bisuntinæ provinciarum (4).

Mandata papæ peracta fuisse, comprobant rationes collectorum decimæ.

Nam in rationibus prioris de Gordanicis (5) legitur societates Bonaventuræ Bernardini, Clarentinorum, Johannis de Crusolis, Battesorum et Ammannatorum in totum persolvisse 33923 libr. 16 solidos et 11 denarios Tur. parvorum.

In eodem mutuo societas Alfanorum de decima Hungariæ et Sclavoniæ 400 marchas sterlingorum bonorum persolvit (6).

In rationibus episcopi Reatini legitur (7) :

« *Primo Vantus Honesti de societate Rizardorum de Luca de dicta pecunia decimarum per eumdem episcopum deposita apud ipsum assignavit et solvit Bulliono Roscilionis de societate Baccusorum de Luca ad pondus regni Sicilie CLXXXVI uncias auri.*

» *Item Luperius Castarii ejusdem Bullioni socius solvit eidem B. CCCC uncias auri.*

(1) Animadvertendum enim, decimalem pecuniam regi Siciliæ in mutuum, non in donum, fuisse concessam; ut infra manifestum erit.

(2) Cf. Fabre, *loc. cit.*, p. 377.

(3) *Reg. Vat.* 42, fol. 47.

(4) *Ibid.*, fol. 51 v°.

(5) Fabre, *loc. cit.*, p. 377.

(6) *Mon. Vatic. Hungariæ*, I, 11.

(7) TAB. VAT., *Collectoriæ*, 213, fol. 2.

» *Item Paulus Herrici solvit eidem B. nomine societatis Squarcialuporum de Luca III^c^LXVI uncias auri.*

« *Item Petrus Foresii de societate domini Lambertutii Flescobaldi solvit eidem B. III^c^XXXIII uncias auri.*

» *Item Feus Bonfantini de societate domini Thome Spiliati et Lapi Ugonis de Florentia assignavit eidem B. CCC uncias auri* ».

In rationibus [1] Benenati de Lavania collectoris in Aragonia et Navarra legitur :

« *Primo in mutuo XV^M^VI^c^VIII unciarum XVIII tarenorum et II granorum auri facto dicto principi* [Salernitano] *per ipsam Ecclesiam sub nomine tamen Balionis Rossilioni et sociorum suorum de societate Battusorum de Luca solvit Clarentinus de societate Clarentinorum de Pistorio IIII^c^XLI libras XIII solidos et I den. Tur. parvorum* ».

Cujus pecuniæ summa ascendit ferme in 15608 uncias 18 tarenos et 2 grana.

2° Die 30 novembris 1283, papa Berardo camerario injunxit, ut a mercatoribus apud quos decimæ Siciliæ et Hungariæ custodirentur, 16000 unciarum auri acciperet, et nuntiis principis Salernitani in mutuum traderet [2]. De mandati hujusmodi exsecutione nos edocent, tum rationes collectorum decimæ, tum apodixæ plurimæ mercatoribus qui decimam asservabant die 2 decembris concessæ quæ in regestro Martini IV exstant [3]. Mutuum 16000 unciarum non solum de decima Siciliæ et Hungariæ, sed etiam de decima regni Arelatensis et Sardiniæ ac Corsicæ insularum factum fuit.

Ex rationibus prioris de Gordanicis [4], collectoris in regno Arelatensi, manifestum est quinque societates Bonaventuræ Bernardini, Ammannatorum, Clarentinorum, Johannis de Crusolis et Battesorum in eodem mutuo pecuniam solvisse cujus summa

(1) Tab. Vat., *Collectoriæ*, 213, fol. 22.

(2) *Reg. Vat.* 42, fol. 75 v°.

(3) *Ibid.*, fol. 77 v° et 79.

(4) Fabre, *loc. cit.*, p. 378. Summæ, quæ ibi notantur, plene concordant cum quinque apodixis quæ in *Reg. Vat.* 42, fol. 77 v°-78, n° 165-168 et 172, reperiuntur. — Notandum tamen, quod in compoto Benenati de Lavania, collectoris in Aragonia et Navarra, legitur (*Collectoriæ* 213, fol. 24 v°) : « *Item in quodam alio mutuo XVI^M^ unciarum auri facto per Romanam Ecclesiam dominis Lodovico et Hugoni procuratoribus ejusdem principis* [Salernitani]... *dictus Tura Bonamiki de pecunia decime collecta in dictis regnis Aragonie et Navarre solvit IIII^M^ V^c^ LXV libras et XIII denarios Tur. parvorum, quanquam sub nomine decime Provincie hujusmodi pecunia fuit persoluta, ut supra in ratione pecunie continetur, que cum dicta decima Provincie minime computatur.* »

ascendit in 26293 florenos auri, et 6 denarios Tur. parvorum, ac 688 carolinos auri et 265 libras 2 solidos et 4 denarios Tur. grossorum.

Societas Alfanorum de decima Hungariæ in eodem mutuo 900 uncias auri persolvit [1].

In rationibus episcopi Reatini legitur [2] :

« *Dictus namque Bollionus* [Roscilionis] *pro sua societate solvit in ipso mutuo... MMMLXXXVII uncias II tarenos et VII grana auri* [3].

» *Item solvit pro Cetio et Bonajuncta Tineosini de Luca et eorum sociis VII^c V uncias et XII tarenos auri* [4].

» *Item solvit idem Bollionus pro Bartholomeo Turinghelli et Necto Burgarini de Lucca CCCXXXVII uncias et XV tarenos auri* [5].

» *Item solvit prefatus Petrus Foresii* [de societate Lambertutii Frescobaldi] *VIIII^c uncias auri* [6].

» *Item Bonfilius Manfreducii solvit pro Diffaciaco de Sclacta et Lazario Guinisii et Putio Bonfini CCLXXXVII uncias et IIII tarenos* [7].

» *Item Putius Liena solvit pro Orlandino Paganelli et Ubaldo Cardellini de Luca CCXLIII uncias et XII tarenos auri* [8].

» *Item prefatus Vantus Honesti* [de societate Riccardorum] *solvit pro sua societate CCCVIIII uncias et VIIII tarenos auri* [9].

» *Item solvit idem Vantus Honesti pro Paganucio Guidicionis et Guidicione Paganucii, Berto et Ghino Teresendi de Luca V^oXLVIII uncias et XXVII tarenos auri* [10] ».

» *Item dictus Paulus Herrici de societate Squarcialuporum solvit VII^cXXVIII uncias et XV tarenos auri in florenis et auro in duabus particulis* [11].

» *Item Landus Orlandi Christophori de Luca solvit pro Dino Sbarra, Johanne Lombardi, Thomasio Herrici, Lazaro Fodera,*

(1) Cf. rationes Gerardi de Mutina (*Mon. Vat. Hung.*, I, 11); et apodixam in *Reg. Vat.* 42, fol. 78, n° 169.
(2) Tab. Vat., *Collectoriæ*, 213, fol. 2 v°.
(3) Concordat cum apodixa quæ reperitur in *Reg. Vat.* 42, fol. 78, n° 172.
(4) In apodixa *ibid.*, n° 176 legitur *605 uncias et 12 tarenos.*
(5) Concordat cum apodixa *ibid.*, n° 177.
(6) Concordat cum apodixa *ibid.*, n° 170.
(7) Concordat cum apodixa *ibid.*, n° 180.
(8) Concordat cum apodixa *ibid.*, n° 179.
(9) In apodixa *ibid.*, n° 173 legitur *CCCXVIIII uncias.*
(10) In apodixa *ibid.*, n° 178 legitur : *V^o XLVIIII uncias.*
(11) Concordat cum apodixa *ibid.*, n° 174.

Moretino Orlandi Donassi, Curso del Barga, Arcesitio Martini, Ugolino Tallapanini, Orlando Squarzalupi et Aiuto dicto Johanni CCXLVI uncias auri (1).

» *Item dictus Feus Bonfantini* [de societate Thomæ Spiliati] *solvit pro sua societate V^cLXXXXI uncias et XVI tarenos auri* (2) ».

Vantus denique Honesti de decima Sardiniæ et Corsicæ 994 libras 8 solidos et 10 denarios Turonensium Berardo apostolico camerario persolvit (3).

Cujus pecuniæ summa ascendit in uncias ferme 16000.

Primum ergo, quod commemoravimus, mutuum Battesorum, secundum ipsius camerarii interposito ministerio factum fuerat. Mox tamen consultius visum fuit, ut mercatores cameræ, ut summo pontifici, sic et Siciliæ regi, necessariam pecuniam exhiberent, de decimis recuperandam. Duplex inde utilitas; interpositis mercatoribus, negotia facilius gesta; interpositis mercatoribus cameræ, secretius. Hinc mos, ut, si quando papa decimalis pecuniæ partem regi Siciliæ mutuam concesserat, mutuum a solis mercatoribus cameræ quæreretur ; apud quos rursus tantumdem decimalis pecuniæ, quantum expendissent, deponeretur.

3° Die ergo 20 januarii 1284, Martinus IV Berardo camerario præcepit, ut quicquid de decimis in Sicilia, Hungaria, Aragonia, Navarra, Sardinia, Corsica, et in Viennensi, Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, Tarentasiensi et Bisuntinæ provinciis collectum fuisset, quatuor mercatorum cameræ societatibus assignari juberet (4). Duobus autem elapsis mensibus, die 31 martii 1284 (5), eidem Berardo fuit injunctum, ut nuntiis Caroli principis Salernitani 28393 unciæ auri et 14 grana ad pondus Siciliæ de pecunia decimali in mutuum darentur, a principe, cum primum jussisset papa, restituendæ. Illas 28393 uncias de decimis Siciliæ, Aragoniæ et regni Arelatensis detractas fuisse, testantur rationes collectorum in quibus notatur, infrascriptos mercatores infrascriptas pecuniæ summas contulisse.

Legitur in rationibus prioris de Gordanicis (6) :

« *Item in quodam alio mutuo XXVIII^M III^c LXXXXIII unc. et XIIII gran. auri...... infrascripti mercatores de pecunia dicte*

(1) Concordat cum apodixa *ibid.*, n° 175.
(2) Concordat cum apodixa *ibid.*, n° 171.
(3) Hoc testatur apodixa *ibid.*, n° 173. — Rationes collectoris decimæ in Sardinia et Corsica deperditas esse, supra diximus.
(4) *Reg. Vat.* 42, fol. 83 v°.
(5) *Ibid.*, fol. 90.
(6) Fabre, *loc. cit.*, p. 378-379.

decime quantitates hujusmodi persolverunt eas mercatoribus cameræ assignando.

[A] « *Primo per manus mercatorum camere a dicto Spina Phylippi de Pistorio pro VIIII^{M}VIIII^{C}LXXXIIII libris et IIII sol. Turonensium parvorum soluti fuerunt de decima...... XVIIII^{M}IIII^{C} LXXXI flor. auri III sol. et VIII den. Tur. parvorum. quolibet floreno pro X solidis et III den. Tur. parvorum computato.*

[B] » *Item a dicto Guilielmo de Fagis de Monte Pesulano pro III^{M}VIII^{C}LXXXI libr. III sol. et dimidio Tur. parvorum... soluti fuerunt VII^{M}V^{C}LXXIII flor. et III Tur. parvorum.*

[C] » *Item a dicto Baliono Roscilionis de Luca de societate Baccusorum pro MLI libr. et XVI sol. Tur. parv. II^{M}LII flor. et III sol. Tur. parv. ad eamdem rationem.*

[D] » *Item a dicto Baliono, per manus suas, pro IIII^{C}XLI libris et XVII sol. parv. Tur. solute fuerunt X libre et V denarii Tur. grossorum ac VI^{C}VIII flor. auri* (1).

[E] » *Item a dicto Thura Bonamiki de societate Bonaventure Bernardini de Senis, nomine Thiberii Altiutii de societate Henrici Recuperi de Senis pro VII^{C}LXXXXI libris III sol. et I den. Tur. parv. soluti fuerunt LX libre XVII sol. et II den. Tur. grossorum, pro XII parvis Turonensibus grosso quolibet computato* ».

In rationibus magistri Benenati de Lavania legitur (2) :

[F] « *Item in quodam alio mutuo XXVIII^{M}III^{C}LXXXXIII unciarum et XIIII granorum auri facto per ipsam Ecclesiam dicto principi per manus mercatorum camere dictus Clarentinus Anselmi de Pistorio pro VIIII^{M}V^{C}LVIII libr. XVIII sol. et XI den. Tur. parvorum solvit XVIII^{M}VI^{C}LI florenos auri VI sol. et II den. Tur. parv. pro X sol. et III den. floreno quolibet computato.*

[G] » *Item dicta societas Clarentinorum per manus Corradi pro III^{M}III^{C}LX libris Tur. parv. solvit LXIIII libras et X sol. Tur. grossorum et IIII^{M}VIIII^{C}XX florenos auri* (3).

[H] » *Item Spina Phylippus de societate Ammannatorum de Pistorio per manus mercatorum camere solvit IIII^{M} libr. Tur. in grossis turonensibus argenti, computato quolibet turonense grosso pro XII turonensibus parvis.*

(1) Exstat in *Reg. Vat.* 42, fol. 92 v°, apodixa die 13 apr. 1284 Bolliono Rossilionis concessa, de 441 libris 17 sol. Tur. parvorum.

(2) Tab. Vat., *Collectoriæ*, 213, fol. 24 v°.

(3) Concordat cum apodixa die 13 apr. 1284 Conrado Galligaii concessa (*Reg. Vat.* 42, fol. 93 v°, n° 22).

[I] » *Item Balionus Roscilionis de societate Bactusorum de Luca solvit M libras Tur. in grossis pro XII parvis* », etc......

[J] » *Item Tura Bonamiki de societate filiorum Bonsignoris de Senis solvit XXVII^{M}VII^{C}XLVII libras et XXIII den. Tur. de quibus turonensibus V^{M}IIII^{C}XLVII libr. IIII sol. et VII den. Tur. fuerunt in grossis, quolibet* », etc. (1)......

[K] « *Item Tiberius Altiutii de Senis de societate Henrici Recuperi per manus dicti Ture pro V^{C} libr. Tur. parv. solvit MLXXIII florenos I tar. et I gran. auri* ».

Quatuor particulæ, quibus litteras A, B, C, F præmisimus, ascendunt ad summam 24476 libr. 2 sol. 5 den. Tur. parvorum. Summa duarum particularum litteris H et I signatarum ascendit in 5000 libr. Tur. grossorum. Atqui in registro Martini IV (2) extat apodixa die 13 aprilis 1284 quatuor societatibus mercatorum cameræ concessa de 24476 libr. 2 sol. 5 den. Tur. parv. et 5000 libr. Tur. grossorum, quas eis, jubente Berardo camerario, alii mercatores de pecunia decimali assignaverant; quas autem, jubente papa, principi Salernitano commodaverant. Ceteris particulis, quas pro se quæque societas persolvit, singulæ, ut supra manifestum est, in registro respondent apodixæ.

In rationibus demum episcopi Reatini legimus (3) :

« *Item dictus Vantus Honesti solvit nomine Aiuti Rossimpelli et Petri Fattinelli de Luca et sociorum CCCLXXVII uncias et VI tar. et XI gran. auri* (4).

» *Item prefatus Petrus Foresii assignavit et solvit CLXXIIII uncias auri* (5).

» *Item Corradus de Pistorio solvit XVIIII uncias auri* ».

« *Item Loterius Homodei de societate Squarcialuporum solvit VI uncias XXVIII tar. et IX gran. auri.*

» *Item Bartholomeus Pancassi de societate Guacti Honesti solvit LXXIIII uncias XXVIIII tar. et XV gran. auri* (6).

» *Item suprascriptus Ballionus Roscilionis solvit nomine societatis sue CC uncias auri* (7).

» *Item prefatus Vantus Honesti solvit pro Loterio Gentilis, Bona-*

(1) Hoc plene concordat cum apodixa die 13 aprilis 1284 Thuræ Bonamiki et sociis concessa (*Reg. Vat.* 42, fol. 92 v°).
(2) *Reg. Vat.* 42, fol. 90 v°.
(3) Tab. Vat., *Collectoriæ*, 213, fol. 2 v°.
(4) Concordat cum apodixa die 13 apr. data (*ibid.*, fol. 93 v°, n° 26).
(5) Cf. apodixam *ibid.*, n° 25.
(6) Cf. apodixam *ibid.*, n° 24.
(7) Cf. apodixam *ibid.*, fol. 92 v°.

curso Cinachi, et sociis de Luca ad mandatum domini camerarii V^{c}LX uncias auri, quas idem dominus camerarius recuperavit, et misit domino legato dicti regni [1] ».

Quæ vero ad perficiendam predictam 28393 unciarum et 14 granorum summam deficiunt, ex decimis Sardiniæ et Corsicæ collata fuisse, suspicor, quanquam asserere nequeam, cum deficiant rationes collectoris Sardiniæ et Corsicæ. Hungariam, non obstante mandato, quod supra commemoravimus, die 20 januarii dato, in hoc mutuo nullam contulisse pecuniam, testantur rationes magistri Gerardi de Mutina.

Manifestum igitur, hujusmodi mutui partem longe majorem a mercatoribus cameræ de pecunia ministratam fuisse, quam a ceteris mercatoribus receperant. Reliquum singulæ mercatorum societates persolverant.

Sequenti tempore, decimalis pecunia magis atque magis in manus mercatorum cameræ pervenit. Multæ in registro extant epistolæ, quibus mercatoribus diversis injungitur, ut de receptis decimis reddant rationem [2] ; multæ apodixæ, iis concessæ qui pecuniam mercatoribus cameræ assignavissent [3].

4° Die 25 julii 1284 [4], papa camerario præcepit, ut de pecunia in Hungaria, Polonia et Sclavonia, in Dacia et Suetia ac in Scotia collecta, 15600 uncias auri mercatoribus cameræ assignari faceret nuntiis Caroli regis Siciliæ tradendas ; quas Carolus infra duos annos se restiturum esse pollicebatur. In hoc mutuo, ut ex rationibus Bertrandi Amalrici archiepiscopi Arelatensis apparet [5], solverunt mercatores de societate Johannis de Crusolis, de decima collecta in Dacia et Suetia, « *pro MCCC marchis argenti de Guandavo ad pondus Trecense* [6] », MCCCCLXVII uncias auri, VI Turonenses grossos et duo tertia unius Tur. grossi de argento. — De decimis Hungariæ, Poloniæ et Sclavoniæ, societas Alfanorum 4500 florenos auri (i. e. 900 uncias) et 1032 uncias ac 26 tarenos persolvit [7]. Cum autem mercatores cameræ, præter hujusmodi 3400 uncias, nihil reciperent, ad complementum prædictarum

(1) Cf. apodixam Vanto Honesti die 22 aug. 1284 concessam (*ibid.*, fol. 105 v°).

(2) *Reg. Vat.* 42, fol. 88, 92, 100 v°, 104, 104 v°.

(3) *Ibid.*, fol. 100 v°, 104 v°, 105 v°, 107 v°, 113 v°.

(4) P. 22168. Cf. epistolam die 5 aug. 1284 (*Reg. Vat.* 42, fol. 106) Baiamundo de Vitia in Scotia collectori scriptam, ut decimas mercatoribus cameræ assignaret.

(5) Munch, *op. cit.*, p. 12.

(6) Cf. *Reg. Vat.* 42, fol. 105 v° apodixam societati Johannis de Crusolis die 5 aug. 1284 concessam de 1300 marchis de Gandavo.

(7) *Mon. Vat. Hung.*, I, 11.

15600 unciarum, 12200 uncias de propria pecunia commodaverunt; « *quibus postmodum* (ut legitur in compotis Baiamundi de Vitiis in Scotia collectoris) (1) *dominus papa concessit per suas litteras* (2) *ut XI^{M}IIII^{C}XXXVII marchas et VI solidos sterlingorum novorum pro recompensatione dictarum XII^{M}II^{C} unciarum auri ab eis solutarum, cum eadem decima Scotie quam eis assignari mandaverat ad manus ipsorum pervenerit, videlicet cuilibet societatum predictarum pro quarta parte liceat retinere. Mandans quod eis interim pro ipsorum securitate decime Alamannie et Portugalie per ipsum camerarium deberent in depositum assignari* ». Exstant etiam litteræ, quibus papa Berardo camerario injunxit, ut decimas Portugalliæ et Alamanniæ, a mercatoribus, apud quos servarentur, acceptas, mercatoribus cameræ tradi juberet (3). Testatur epistola quædam Honorii IV (4), regem Scotiæ sese primum opposuisse, quominus mercatores cameræ decimam de regno Scotiæ extraherent, « *nisi prius datis cautionibus ab eisdem de representando se personaliter cum hujusmodi decima* » ad officialium regis mandatum. Regem Scotiæ postmodum papæ auctoritati cessisse, comprobant rationes Baiamundi de Vitia.

5° Alia etiam mutua, anno 1285, mercatores cameræ regi Siciliæ dederunt. Die 23 januarii 1285, singulæ societates nuntiis regis Siciliæ singulas 100 uncias tradiderunt, suisque sociis apud Nemausum morantibus scripserunt, ut ejusdem regis legatis 8000 uncias solverent (5). Die 30 januarii papa mercatoribus injunxit, ut Johanni de Apia, regni Siciliæ senescalco, singuli 4000 uncias commodarent (6). Die 23 februarii, unaquæque societatum episcopo Sabinensi, in Sicilia legato, 3333 uncias et 10 tarenos in mutuum dederat (7). Mercatoribus papa indulsit, ut de pecunia decimali tantum, quantum commodavissent, pignoris loco retinere possent. Ex quarum tamen regionum decimis mercatoribus satisfactum fuerit, nescio, cum de hoc in rationibus collectorum nihil reperiatur.

(1) Tab. Vat., *Collectoriæ*, 213, fol. 29.

(2) Quæ litteræ exstant in *Reg. Vat.* 42, fol. 107, die 17 aug. 1284 datæ.

(3) *Reg. Vat.* 42, fol. 106 (21 aug. 1284). — Cf. apud K. 264 epistolam Theodorico de Urbeveteri scriptam, ut collectam pecuniam sociis Thomæ Spiliati traderet. — Cf. *Reg. Vat.* 42, fol. 113 v°, apocham die 21 dec. 1284 Alfanis datam de quadam pecuniæ summa ex decimis Alemanniæ.

(4) P. 22252.

(5) *Reg. Vat.* 42, fol. 116.

(6) *Ibid.*, fol. 116 v°.

(7) *Ibid.*, fol. 119.

Memorandum denique videtur id quod in rationibus Benenati de Lavania legitur [1] : ...... « *prefati mercatores camere de Thome Spiliati et quondam Ugonis Spine, de Pulicum et Rimbertinorum, de Florentia, de Bonaventura Bernardini de Senis et de Rizardorum de Luca societatibus pro solutione census debiti ecclesie Romane* [cujus anni, nescio] *a domino C. illustri rege Sicilie, magistro Clementi procuratori et nuntio dicti regis recipienti hujusmodi mutuum ratione ipsius regis IIII^{M}CC et XIIII uncias XV tar. et VII gran. auri ad generale pondus regni Sicilie ipsorum nomine mutuarunt. Unde dominus Martinus papa IIII volens ipsorum mercatorum indempnitati consulere, eis pro dicta pecunie quantitate pignora que magister Benenatus dudum collector decime Terre Sancte in partibus Aragonie a Petro quondam rege Aragonum pro XV^{M} libr. Tur. ab ipso de decima receptis* [2] *eadem habuit, et que ipsis a domino... archiepiscopo Narbonensi penes quem erant assignari mandavit per suas speciales litteras, dictis mercatoribus obligavit, donec ipsis mercatoribus de dictis IIII^{M}CC et XIIII unc. XV tar. et VII gran. auri per eumdem regem fuerit satisfactum* ».

Ostendimus mercatores cameræ majorem in dies partem in procurandis decimis gessisse, cum mos ultimis saltem Martini IV temporibus invaluerit, ut a solis mercatoribus cameræ mutua peterentur, oppigneratis decimis. Idem ferme de successoribus Martini IV dicendum.

Honorio quidem IV non fuit necesse, ut decimam in concilio Lugdunensi impositam in gerendis contra Siculos bellis consumeret. Specialem enim negotio regni Siciliæ deputaverat decimam, per tres annos a die 24 junii 1285 colligendam, per totam Italiam, Corsicam, Sardiniam, Gradensem et Aquilegensem patriarcatus [3], necnon et per Provinciam ac comitatum Forcalcherii [4]. Decimæ proventus diversis mercatoribus assignati ; Ammannati Pistorienses et Abbates ac Bacarelli Florentini decimas Ducatus Spoletani, Patrimonii, Tudertinæ, Perusinæ, Castellanæ diocesium [5], Aquilegensis et Gradensis patriarchatuum [6] ; socii Thomæ Spiliati necnon et Alfani Florentini, decimas Sardiniæ et Corsicæ [7] ;

(1) *Collectoriæ*, 213, fol. 25 v°.
(2) Cf. supra, p. 82, 84.
(3) *Reg. Hon. IV*, 12. — Decimam Carolo I jam concesserat Martinus IV; rex autem, morte præventus, nullam ex hujusmodi concessione utilitatem acceperat.
(4) Hoc colligitur ex *Reg. Hon. IV*, 331 et *Reg. Nic. IV*, 601-603, 1136.
(5) *Reg. Hon. IV*, 192.
(6) *Ibid.*, 332.
(7) *Ibid.*, 520.

Riccardi decimas Marchiæ Anconitanæ[1]; socii Bonaventuræ Bernardini et Ammannati, decimas Provinciæ[2], acceperunt custodiendas et prout jussisset papa, qui recuperandæ Siciliæ curam assumpserat, persolvendas[3]. Non dubito, papam consulto voluisse, ut decima, majoris securitatis causa, inter quamplures mercatorum societates divideretur.

Regnante igitur Honorio, decima Lugdunensis ad opus Terræ Sanctæ conservata, et, ut moris erat, inter plurimos mercatores divisa. Exstant epistolæ, quibus papa collectoribus injungit, ut decimas Siciliæ et Calabriæ Frescobaldis traderent[4]; decimas autem regni Cipri et diocesis Tripolitane, Bonaventuræ Bernardini et sociis[5]; decimas Treverensis et Maguntinæ provinciarum (exceptis Pragensi, Olomucensi, Eistetensi et Bambergensi diocesibus), Ammannatis, Abbatibus et Bacherellis, ac Frescobaldis[6]; decimas Coloniensis, Bremensis, Magdeburgensis provinciarum et Caminensis diocesis, societati Thomæ Spiliati et Lapi Hugonis[7]; decimas Hungariæ, Poloniæ et Jadrensis provinciæ, Alfanis[8]; iisdem Alfanis una cum sociis Thomæ Spiliati, decimas tum Corsicæ et Sardiniæ[9], tum Norwegiæ, Suetiæ et Daciæ[10]. Nicolaus IV, quod prædecessor de decimis Treverensis et Maguntinæ provinciarum, ac Norwegiæ, Suetiæ et Daciæ sanxerat, confirmavit[11].

Siculo tamen bello perdurante, cum decima ab Honorio concessa nimis lente colligeretur, rursus ea necessitate constrictus fuit pontifex, ut mutua quæreret, creditoribus de futuris proventibus decimæ restituenda. Sic, Honorii tempore, Thomas Spiliati et socii Petro de Latyera, Adæ de Dussiaco et Guberto de Sancto Quintino, procuratoribus episcopi Sabinensis et comitis Atrebatensis bajulorum generalium regni Siciliæ, primum 2000 unciarum auri, ac

(1) *Reg. Hon. IV*, 193.
(2) *Ibid.*, 331.
(3) Nicolaus IV die 12 aug. 1288 (*Reg. Nic. IV*, 601-603) illis injunxit, ut archiepiscopo Arelatensi 5000 libras Turonensium parvorum persolverent, pro pretio 16 galearum Provincialium, quæ in partes Siciliæ fuerant missæ. — Die 23 maii 1289, Ammannatis et sociis Bonaventuræ Bernardini, cuilibet societati pro 2500 libr. Tur. parv., apocha fuit concessa (*Reg. Nic. IV*, 7232-7233).
(4) *Reg. Hon. IV*, 43.
(5) *Ibid.*, 183-184.
(6) *Ibid.*, 640.
(7) *Ibid.*, 155-156.
(8) *Ibid.*, 766.
(9) *Ibid.*, 125, 519.
(10) *Ibid.*, 218-219, 222.
(11) *Reg. Nic. IV*, 14, 151.

postea 666 uncias et 20 tarenos, ad mandatum papæ commodaverunt, « *pro quibus iidem procuratores... regnum Siciliæ... et perceptionem decimarum per sedem apostolicam concessarum negotio dicti regni* » predictis obligaverunt mercatoribus (1). Pares pecuniæ summas crediderunt Bonaventura Bernardini et socii (2), ac, ut arbitror, etiam Riccardi (3). Quas conventiones et obligationes, mortuo Honorio, Sacrum Collegium confirmavit; ab eisdem quoque tribus societatibus 16000 unciarum auri accepit, pro censu regni Siciliæ annorum 1286 et 1287; hoc adjecto, quod si decimæ negotio Siciliæ concessæ ad restitutionem omnium prædictorum mutuorum faciendam minime sufficerent, mercatores decimas Terræ Sanctæ apud se depositas retinere possent (4). Cardinales igitur collectoribus decimæ Siculæ scripserunt, ut exactam pecuniam cameræ sedis apostolicæ mercatoribus traderent (5).

Nicolaus IV, tum quicquid a Sacro Collegio factum fuerat, ratum habuit (6); tum et ipse die 21 augusti 1288 a singulis societatibus mercatorum cameræ singulas 800 uncias auri bajulis generalibus Siciliæ jussit exhiberi; de proventibus decimæ regi Siciliæ concessæ restituendas; eisdem tamen concedens mercatoribus, ut interim « *pro securitate et cautela* » decimas Terræ Sanctæ, excepta decima regni Angliæ, « *usque ad quantitatem mutui supradicti* » retinerent (7). Sequenti anno, unaquæque societatum, eisdem pactis conditionibus, 1200 uncias auri persolvit (8). Decimas igitur ad opus Terræ Sanctæ collectas mercatoribus cameræ in depositum tradi jussit Nicolaus. Exstant litteræ, quibus papa collectoribus tum decimæ Terræ Sanctæ in Treverensi, Coloniensi, Maguntina, Bremensi et Magdeburgensi provinciis, tum decimæ Siciliæ in Lombardia, scripsit ut perceptam pecuniam Clarentinis darent (9); exstant etiam apochæ die 30 aprilis 1289 Alfanis, Frescobaldis,

(1) *Reg. Nic. IV*, 101-102.
(2) *Ibid.*, 103-104.
(3) Nempe in *Reg. Nic. IV*, 105, memorantur non solum 16000 unciarum auri a tribus societatibus, ut infra docemus, commodata, sed mutuum quoque 8000 unciarum a tribus societatibus factum. Suspicor Riccardos quoque, ut reliquæ societates, primum 2000 uncias ac postmodum 666 uncias 20 tarenos mutuas dedisse; sic quantitatem 8000 unciarum extitisse. — *Ibid.*, mentio fit de alio mutuo 4000 unciarum a mercatoribus, quorum nomen non exprimitur, accepto.
(4) *Reg. Nic. IV*, 105.
(5) *Ibid.*, 96-100.
(6) *Ibid.*, 96-105.
(7) *Ibid.*, 7108-7112.
(8) *Ibid.*, 7215-7219. Cur decima Angliæ excepta fuerit, causam vide supra.
(9) *Ibid.*, 7158-7159.

Ammannatis et Abbatibus ac Bacherellis concessæ, de decimis Alemanniæ quas Clarentinis assignaverant [1].

Nicolaus ergo IV Martini IV vestigia secutus est. Bonifacii VIII et Benedicti XI temporibus nova progressio facta fuerat. Nulla jam distinctio fiebat tum residui decimæ Lugdunensis (quod etiam tum colligebatur), tum ceterorum cameralium reddituum, tum etiam redemptionum votorum, legatorum indistincte, et aliarum obventionum quæ Terræ Sanctæ deberentur. Pecunia undecumque oriretur, per eosdem collectores exacta [2]. Bonajutus de Casentino in Hungaria, Bohemia, Moravia, Polonia, Gabbriel de Valleneto in Maguntina, Treverensi, Coloniensi, Bremensi, Magdeburgensi et Salzburgensi provinciis ac in Eistettensi et Bambergensi diocesibus, Giffredus de Vezano et Gerardus de Pecoraria in Anglia, Wallia, Scotia et Hibernia, camerales proventus una cum decimis colligebant [3]. Pecunia decimalis, haud aliter quam cameræ redditus, cameræ mercatoribus tradebatur. Die 20 septembris 1295, Bonifacius VIII archiepiscopo Trevirensi et episcopo Metensi ac magistro Humberto de Bellavalle scripserat, ut totam decimam Alemanniæ « *que nondum in ejusdem Romane Ecclesie potestate pervenit* », Mozis, Spinis et Clarentinis assignarent [4]. Idem die 10 augusti 1296 Castellano, Parmensi, Florentino et Pistoriensi episcopis injunxit [5] « *tam de residuis decimarum in concilio Lugdunensi pro ipsius Terre* [Sancte] *subsidio, quam trium annorum primo et secundo in prosecutione negotii regni Sicilie et quibusdam Ecclesie Romane negotiis necessitatibus concessarum* [6] ». Die 23 junii 1296 [7], Bonifacius 1000 libras Turonensium in grossis, de pecunia decimæ Aragoniæ, penes Arnaldum de Bastida et Berengarium de Fenestris mercatores Barchinonenses depositas, Clarentinis assignari jussit. Archiepiscopus Coloniensis,

(1) *Reg. Nic. IV*, 7226-7229.

(2) Emendandum ergo quod apud Gottlob, *op. cit.*, p. 192 legitur. Jam anno 1290 occurrit Theodoricus prior Sancti Andreæ Urbevetani « *collector decime, vicesime, redemptionis votorum, et crucis legatorum et obventionis cujuslibet Terre Sancte deputatorum subsidio in Treverensi, Maguntina, Coloniensi, Bremensi, et Magdeburgensi provinciis, ac Caminensi diocesi, necnon censuum, reddituum, proventuum et aliorum jurium Romane Ecclesie in partibus Alemannie debitorum per sedem apostolicam deputatus.* » K. 387. — De Theodorici legatione cf. K. 271).

(3) Cf. K. 502; P. 25073; *Reg. Bon. VIII*, 1129; *Reg. Ben. XI*, 1155, 1213, 1232, 1233, 1273; *Reg. Clem. V*, 1151, 1152, 2271, et App., I, 300.

(4) *Reg. Bon. VIII*, 826 (exceptis tamen 4000 marcarum argenti Oddoni de Grandisono solvendarum).

(5) *Ibid.*, 1305.

(6) De istis concessionibus infra disseremus.

(7) *Reg. Bon. VIII*, 1166.

cui decimæ collectio in Alamannia, Hungaria, Polonia et Moravia commissa fuerat, ac qui ei successisse videntur, Bonajutus de Casentino et Gabriel quoque de Valleneto necnon et Girardus de Pecoraria mercatoribus cameræ ut depositariis, jubente papa, utebantur [1]. Pecunia quoque decimalis ad arbitrium papæ expendebatur. De ea Bonifacius principibus, quibus curia favebat, mutua concessit. Sic 76770 libræ 16 solidi 8 denarii Tur. parv. a Clarentinis Arelatensi et Ebredunensi archiepiscopis ad opus Caroli II regis Siciliæ persolutæ [2]; diversa quoque mutua Jacobo regi Aragonum facta [3]. Partem quoque ejusdem decimæ ipse papa in bello contra Columpnenses gerendo et obsidione castri Zagaroli consumpsit [4]. Non tamen Terræ Sanctæ necessitates penitus ex memoria abjecit. Oddoni de Grandisono, qui in defensione civitatis Acconensis magnas subierat expensas, 1000 marcarum argenti de decima Alamanniæ donavit [5]. Nuntiis Venetias et Januam pro Terræ Sanctæ negotiis transmissis expensas de decima ministrari jussit [6]. Quid multa? Decimæ in potestatem papæ plene devenerant.

Eo etiam venit Bonifacius, ut concessiones a prædecessoribus suis Angliæ et Franciæ regibus factas revocare tentaverit, et decimas eis olim promissas sibi usurpare, causa allata quod neuter eorum votum crucis adimplevisset. Nemo est qui ignoret, papam die 25 februarii 1296 celebrem illam bullam *Clericis laicos* promulgasse, qua vetabat, ne sæcularis potestas clericos talliaret aut eis collectas aut decimas imponeret. Eodem circiter tempore, jusserat in regno Franciæ « *pecuniam decimæ, centesimæ, et legatorum indistincte per Spilliacum de Cocissia, de societate Spinorum de Florencia, et Bonavillanum Lucheti de societate Clarentinorum de Pistorio, levari, quod dominus rex pati noluit* [7] », utpote de promulgatione bullæ *Clericis laicos* vehementer, non quidem sine causa, iratus. Quin etiam die 17 augusti 1296 edicto prohibuit, ne aurum vel argentum, pecunia vel jocalia quocumque modo, etiam per litteras cambii, extraherentur [8]. Reclamavit papa ; episcopum

(1) Cf. supra et *Reg. Bon. VIII*, 3543, 3544, 4408, 4410 (Hic tamen Spinis societas « quæ dicitur Benedicta de Pisis » adjungitur).
(2) *Reg. Bon. VIII*, 1691 (5 febr. 1297).
(3) *Ibid.*, 1692, 1698 (10 febr. 1297).
(4) *Reg. Bon. VIII*, 2643.
(5) *Ibid.*, 826 (20 sept. 1295).
(6) *Ibid.*, 1550.
(7) *Olim*, ed. Beugnot, II, 397. — Cf. *Reg. Bon. VIII*, 1096 (8 junii 1296), ubi de censibus Ecclesiæ debitis aliisque obventionibus Terræ Sanctæ agitur.
(8) Dupuy, *Preuves de l'Histoire du différend de Boniface VIII et de Philippe le Bel*, p. 13.

Vivariensem ad regem cum litteris destinavit [1]; in Parlamento igitur Omnium Sanctorum anno 1296 [2], « *preceptum fuit dictis Spillaco et Bonavillano, ex parte domini regis, quod dictam pecuniam recipiant et custodiant in salva manu, nichil de ea alicui tradentes, nisi de mandato domini regis* ». Die 7 februarii 1297, Bonifacius iterum apud regem precibus et minis institit, ut edictum revocaret [3]. Annuit tandem Philippus, concordia ad tempus cum papa reconciliata [4]. Infra exponemus, papam a clero Gallicano subsidia petivisse. Num tamen unquam de decima Lugdunensi quidquam receperit, dubito; contrarium probare videtur libellus, quem supra commemoravimus [5]. Utcumque se res habuerit, hoc unum nobis attendendum erat, quod Bonifacius, cum decimis Gallicanis potiri tentaverit, mercatorum suorum ministerio usus sit.

Haud aliter in Anglia. Die 5 febr. 1300, papa residuum decimæ a Gregorio X Terræ Sanctæ subsidio deputatæ Mozis assignari jussit, cum « *id promptum ac paratum habere intenderet* [6] ». Jam die 10 junii 1296, Giffredo de Vezano scripserat, ut decimam a Nicolao IV indictam in Cantuariensi et Eboracensi provinciis colligeret, et apud Clarentes, Mozos et Spinos aut in loco sacro deponeret [7]. Die 11 julii 1299 [8] episcopo Midensi et decano ecclesiæ Dublinensis, quibus Nicolaus IV collectionem decimæ Edwardo regi concessæ in Hibernia commiserat, Bonifacius injunxit, ut mercatoribus de societate Spinorum perceptam pecuniam infra duos menses assignarent, ad cameram transmittendam. Die 1° aprilis 1300 [9] idem abbati de Waltham et decano Londiniensi de pecunia in Anglia collecta mandavit [10]. Decimam vero necnon et pecuniam ac bona Spinorum cum officiales regis Angliæ arresta-

(1) P. 24398; 24404-24405.
(2) *Olim*, *loc. cit.*
(3) P. 24467, 24469.
(4) Quas concessiones papa regi fecerit, vide ap. Gottlob, *op. cit.*, p. 152-153, et supra.
(5) Cf. supra, p. 78.
(6) *Reg. Bon. VIII*, 3441-3442.
(7) *Reg. Bon. VIII*, 1129. Die 25 maii (*ibid.*, 1111) episcopo Carleolensi ejusdem decimæ in Scotia collectori scripserat, ut 10000 marcarum sterlingorum Pulicibus et Rimbertinis (qui tum cameræ non erant mercatores) traderet, optime de Ecclesia meritis.
(8) P. 24864.
(9) *Reg. Bon. VIII*, 3539.
(10) Die 3 julii 1300, priore mandato immutato, collectoribus scripsit, ut pecuniam Mozis, Spinis et Clarentinis traderent (*Reg. Bon. VIII*, 3643). Causam immutationis vide infra.

vissent, Bonifacio necesse fuit, ut cum rege expostularet [1]. Mox pactum inter partes intervenit. Die 26 februarii 1301 [2] papa regi remisit et donavit, quicquid de decima Hiberniæ pro primis tribus annis percepisset. Quin etiam die 12 martii [3] regi quicquid unquam de quibuscumque decimis accepisset, concessit. Gerardum autem de Pecoraria, regnante Benedicto XI in Anglia nuntium, una cum cameralibus proventibus quicquid Terræ Sanctæ deberetur, collegisse, jam monuimus; quod, ut arbitror, intelligendum est non solum de legatis aliisque obventionibus, sed et de residuis decimarum a Gregorio X et Nicolao IV indictarum [4].

Hæc de decimis pro Terra Sancta perceptis. Aliæ etiam diversas ob causas indictæ decimæ.

Non est hic locus, ut de decimis, quæ a Martino IV Philippo III et a Nicolao IV Philippo IV, in subsidium negotii Aragoniæ, vel a Bonifacio VIII Jacobo regi Aragonum in subsidium negoti Siculi, concessæ fuerunt, fusius disseramus; cum illarum administrationi sese minime immiscuerint pontifices. Hoc tantummodo notandum est, 200000 librarum Turonensium, quæ sibi Nicolaus IV de decima, quam indixerat, reservaverat [5], per manus Clarentinorum, cameræ mercatorum, ad curiam fuisse transmissa [6].

Plura e contra dicenda sunt de decimis, quibus tum Siciliæ regi, tum sibi ipsis pontifices subvenerunt. Nam papæ, cum summo studio optarent, ut Sicilia Andegavensibus principibus servaretur, res Siculas proprias, ut ita dicam, reputantes, decimas ad opus negotii Siciliæ perceptas ipsi administrabant. Quin etiam interdum, confusione quadam, una eademque decima subsidio et Siciliæ, et Ecclesiæ fuit deputata.

Consumpta decima, quam Martinus et Honorius regi Siciliæ concesserant, novam decimam per annum in regno colligendam die 21 augusti 1288 indixit Nicolaus IV [7]. De perceptione hujus tributi nihil compertum habemus. Anno sequenti, die 20 junii 1289 [8], iterum regi Siciliæ decimam « *per tres annos ab instanti*

(1) P. 24995.
(2) P. 25017.
(3) P. 25027.
(4) Legitur in *Reg. Clem. V*, 1152, Spinos recepise 20772 florenos *de antiqua et nova decima Irlandie*. Antiquæ decimæ nomine, vel decima Lugdunensis, vel potius decima a Nicolao IV concessa; novæ vero, decima a Bonifacio VIII (cf. infra) indicta, intelligendæ videntur.
(5) *Reg. Nic. IV*, 1004.
(6) *Ibid.*, 7379.
(7) *Ibid.*, 617-619.
(8) *Ibid.*, 1142-1152 et 2136-2138. Cf. nº 1178. In illa concessione primum, ut arbitror, occurrit exemptio Urbis, dioecesium cardinaliciorum et Comitatus Venaysini,

festo Nativitatis beati Johannis Baptiste numerandos » concessit in regno Siciliæ « *Beneventana civitate ac diocesi non exclusis* », in tota Italia cum Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus, exceptis civitate Romana et civitatibus et diocesibus quibus preesse consueverat cardinalis episcopus ; in Ebredunensi, Tarentasiensi, Aquensi et Arelatensi provinciis (exceptis tamen terra quam in eisdem provinciis obtinebat rex Franciæ [1], necnon et terra comitatus Venaysini ad Romanam Ecclesiam pertinente), ac etiam in Corsicæ et Sardiniæ insulis [2]. Nec pro negotio tantum Siciliæ indicta decima, sed et « *pro quibusdam Ecclesie Romane necessitatibus* », ut in epistola legitur quam Nicolaus episcopo Pistoriensi in Tuscia collectori scripsit [3]. Hæc prima, nisi fallor, decima pro necessitatibus Ecclesiæ imposita. De ea admodum pauca in regestis pontificalibus repperiuntur. Constat tamen, pecuniam ex ea collectam pro parte in defensione regni Siciliæ expensam fuisse [4], pro parte ad cameram per manus cameræ mercatorum persolutam [5], et inter cardinales divisam [6].

Anno 1295, Bonifacius VIII iterum decimam regi Siciliæ concessit, per tres annos a die 24 junii 1295 percipiendam, in regno Siciliæ (Beneventana civitate non exclusa), in Lugdunensi, Viennensi, Bisuntina, Tarentasiensi, Ebredunensi, Aquensi et Arelatensi provinciis (exceptis tamen comitatu Venaysino et terris que regis Franciæ essent), in principatu Achaïe, ducatu Athenarum et insulis adjacentibus, necnon et in tota Italia (exceptis civitate Romana et diocesibus cardinaliciis), Sardinia, Corsica, Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus ac Jadrensi et Spalatensi pro-

(1) Cf. *Reg. Nic. IV*, 4243, de Avenionensi civitate.

(2) Hoc patet ex epistola die 20 sept. 1290 data (*Reg. Nic. IV*, 3261).

(3) *Ibid.*, 7338 (die 23 aug. 1291). — Notandum tamen, quod in bulla per quam imposita fuerat decima, nihil aliud legitur quam : *pro ejusdem prosecutione negotii* [scilicet regni Siciliæ] *ac etiam pro necessitatibus eisdem regi et regno Sicilie imminentibus.*

(4) Nicolaus IV episcopo Capudaquensi in Sicilia collectori scripsit ut 1000 uncias in regni defensione persolveret (*ibid.*, 6731, 5 julii 1291).

(5) Cf. in *Reg. Bon. VIII*, 1549, 1551, apochas Abbatibus et Bacherellis ac Ammannatis concessas, qui pecuniam decimalem, ab episcopo Paduano in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus collectore, in depositum receptam, jubentibus apostolicis camerariis, Clarentinis persolverunt.

(6) Cf. Kirsch, *Die Finanzverwaltung des Kardinalcollegiums*, p. 103. Bonifacius VIII 602 1/2 florenos et 55 sol. 4 den. Venetorum grossorum ab episcopo Paduano collectos inter cardinales dividi jussit. Episcopus Paduanus decimam a Nicolao IV impositam collegerat in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus (*Reg. Nic. IV*, 1148). Errare ergo videtur Kirsch, qui putat, hic de decima ab Honorio IV indicta agi (*op. cit.*, p. 39). Teste Kirsch, nunquam alias de decimali pecunia quicquam cardinalibus fuit concessum.

vinciis ac tota Dalmatia [1]. Pecunia collecta Franciscis tradita, qui eam regi Siciliæ in antecessum numeraverant [2]. Anno 1299 iidem mercatores residuum cameræ apostolicæ persolverunt [3]. Unde conjicere licet, decimam quoque anni 1295 communem regi et papæ fuisse.

Anno autem 1298, Bonifacius VIII specialia tributa ad opus Ecclesiæ colligi jussit. Die 1° octobris, fusius commemorans, quam immensis sumptibus pro bellis contra Siculos et Columpnenses gerendis, necnon et subsidiis Terræ Sanctæ ferendis, Ecclesia Romana obruta fuisset, a prelatis et personis ecclesiasticis regni Franciæ subsidium requisivit [4]; episcopo Vicentino [5], ac postmodum, die 16 martii 1300, Jacobo Normandi de Urbe, archidiacono Narbonensi, et Grimerio de Placentia canonico Parisiensi, ad hujusmodi subsidium colligendum deputatis [6]. Eadem die 1° octobris 1298, decimam triennem « *a festo Nativitatis* [beati Johannis Baptiste] *nuper preterito* » imposuit « *pro oneribus et necessitatibus Romane Ecclesie* », in regno Siciliæ, tota Italia et Gradensi et Aquilegensi patriarchatibus, necnon et in Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, Viennensi, Tarentasiensi et Bisuntina provinciis, « *necnon et per eam partem Lugdunensis provinciæ que est citra Rodanum extra regnum Francie* [7] ». Quibus provinciis, necnon et Tullensi, Metensi, Virdunensi et Leodiensi diocesibus ac illi parti Cameracensis provinciæ que erat extra regnum Franciæ, die 4 septembris 1301 iterum indicta decima, per tres annos post diem 24 junii percipienda [8]. Anno etiam 1300 decimam unius anni a clero Auxitanæ provinciæ obtinuerat [9]. Commemoratur denique in epistola Bonifacii die 10 aprilis 1302 [10] data, decima quædam « *in toto regno Angliæ totaque Ybernia pro Ecclesie Romane oneribus et necessitatibus per nos pridem ad triennium imposita* »; quando autem indicta fuerit, non liquet [11].

(1) *Reg. Bon. VIII*, 369, 370, 497, 1270.

(2) Francisci regi Siciliæ primum 4000 unciarum (*ibid.*, 1579, 27 martii 1296), postmodum 5300 (*ibid.*, 1495, 5 jan. 1297) mutuaverunt. Cf. mandata a Bonifacio collectoribus data ut decimas Franciscis assignarent (*ibid.*, 1515, 1578).

(3) Scil. 18000 flor. auri (*ibid.*, 3118). Hic tantum de decima in Italia collecta agitur.

(4) *Reg. Bon. VIII*, 2886 (cf. P. 24727).

(5) *Reg. Bon. VIII*, 2887 (cf. P. 24728).

(6) P. 24928.

(7) *Reg. Bon. VIII*, 2888.

(8) *Reg. Bon. VIII*, 4395.

(9) *Reg. Bon. VIII*, 3470.

(10) P. 25143.

(11) [At certe ante diem 3 dec. 1301 (*Reg. Bon. VIII*, 4436).]

Hæ decimæ cum nihil aliud essent, nisi tributa pro camera apostolica percepta, nemo est qui miretur, si pecunia quæ exinde colligebatur per solos mercatores cameræ ad curiam mittebatur. Bonifacius VIII tum subsidia caritativa per prælatos Franciæ persoluta [1], tunc decimam Auxitanam [2], tum primam decimam (anno 1298) pro oneribus et necessitatibus Ecclesiæ exactam [3], mercatoribus de societate Spinorum tradi jussit ; postmodum autem, conquerentibus, ut opinor, Mozis et Clarentinis, eamdem pecuniam inter tres mercatorum cameræ societates æquis partionibus dividi voluit [4]. Anglicanæ decimæ medietas Edwardo regi concessa ; altera medietas inter Spinos, Mozos et Clarentinos divisa [5]. Proventus secundæ decimæ anno 1301 pro necessitatibus Ecclesiæ impositæ, Spinis assignati fuerunt [6] ; quibus mercatoribus concessum fuit, ut totos proventus primi et secundi annorum conservare possent, in restitutionem 85873 1/2 flor. quos, jubente papa, Carolo comiti Andegavensi in Tuscia vicario imperii, necnon et Bononiensi ac Salernitano electis, apostolicis in Sicilia nuntiis mutuos dederant [7]. Cum autem, ut supra diximus, Benedictus XI

(1) *Reg. Bon. VIII*, 3554, P. 24934 (1 apr. 1300). — Exstat in *Reg. Vat.* 49, fol. 324 quietantia Spinis concessa de 13000 florenis auri quos Cisterciensis et Præmonstratensis abbates ad curiam per manus Spinorum miserant.

(2) *Reg. Bon. VIII*, 3470.

(3) *Reg. Bon. VIII*, 3052 (30 maii 1299), 3064 (28 maii), 3117 (24 junii), 3467 (17 feb. 1300). Cum Spini, mandato apostolico parentes, Carolo II regi Siciliæ primum 31248 flor. auri et 4 Turonenses grossos (*Reg. Bon. VIII*, 3116 ; 29 junii 1299) ; secundo autem 15000 flor. (*ibid.*, 3220; 25 aug. 1299); tertio vero 30000 flor. auri (*ibid.*, 3468, 17 feb. 1300) commodavissent, et etiam eidem regi mutuum 4000 unciarum auri ante diem 31 martii 1300 persolvendum promisissent (*Reg. Bon. VIII*, 3469, P. 24916; 20 febr. 1300), papa eis concessit, ut in restitutionem hujusmodi mutuorum decimas apud eos depositas retinere possent.

(4) De subsidio caritativo Franciæ, cf. *Reg. Bon. VIII*, 3642 (3 jul. 1300). — De decima, cf. *Ibid.*, 3641 et 3689 (21 junii et 15 aug. 1300). — In rationibus Henrici, præpositi Sancti Petri Basiliensis, subcollectoris hujus decimæ in diocesi Basiliensi (Kirsch, *Die paepstlichen Kollektorien in Deutschland waehrend des XIV Jahrhunderts*, p. 30-31, legitur : « *Assignatio pecunie prefate decime per subcollectorem predictum mercatoribus domini pape... Item pro registrandis et in publicam formam redigendis litteris recognitionis pecunie et argenti per me prefatis mercatoribus assignate et assignati... Anno Domini 1302 infra octavas Pasche pro transcribendis litteris domini archiepiscopi* [Ebredunensis] *memorati mandatum assignande pecunie domini pape mercatoribus continentes...* »

(5) P. 25143 (cf. P. 25075).

(6) *Reg. Bon. VIII*, 4173.

(7) *Reg. Vat.* 50, fol. 341 v° (17 junii 1303). Eadem quoque epistola papa Spinos assignavit ad proventus Marchiæ Anconitanæ, Ducatus Spoletani et Romaniolæ. Hoc plene concordat cum rationibus quas Spini die 1 sept. 1306 camerario apostolico reddiderunt (*Reg. Clem. V*, 1152), quibus apparet eos comiti Andegavensi de mandato Bonifacii VIII 84400 flor. auri et 4 Turonenses grossos persolvisse; ac pro expensis nuntiorum ad regem Trinacriæ missorum 1473 1/2 florenos

Spinos a servitio cameræ apostolicæ dimisisset, collectoribus scripsit, ut colligendam pecuniam, et collectam « *que aliis mercatoribus de mandato predecessoris ipsius nondum fuerit assignata* », Circulis, quos mercatores cameræ assumpsisset, traderent [1].

Commemoranda denique decima triennalis, quam Bonifacius VIII anno 1301 indixit [2], in subsidium Caroli II regis Siciliæ et Caroli comitis Valesii, quem contra Siculos evocaverat, et in Tuscia paciarium constituerat. Hæc decima per tres annos in Francia, Italia, Sicilia, Sardinia et Corsica, necnon et in Achaïa, Ducatu Atheniensi et circumadjacentibus insulis fuit collecta. De ea exstant quietantiæ nonnullæ, quæ collectoribus, vacante, post Benedicti XI mortem, sede apostolica, fuerunt concessæ a Johanne, electo Spoletano, Ecclesiæ camerario [3]; de ea quoque mentio habetur in rationibus anno 1306 a Circulis et Bardis redditis [4]. Quibus documentis apparet, proventus decimæ primo et secundo anno in Italia collectæ, Bardis assignatos fuisse; qui exinde 85160 florenos auri receperunt. Jubente papa, 71000 florenos regi Siciliæ, 12000 comiti Andegavensi mutuos dederant; in colligenda decima 2282 expenderant. Bardi, cum ejusmodi negotium a papa gerendum acceperunt, nondum mercatores erant cameræ [5]; facile tamen intelliget, cur ad istam decimam procu-

expendisse; rursus autem de proventibus Marchiæ et Ducatus 23630 flor.; de decima collecta per archiepiscopum Ebredunensem pro duobus annis 22511 flor.; de decima collecta per episcopum Massiliensem pro duobus annis 16021 flor.; de decima in diocesibus Cameracensi, Leodiensi, Metensi, Virdunensi et Tullensi collecta pro duobus annis 60641 flor. recepisse. Ebredunensis archiepiscopus et Massiliensis episcopus collectores erant decimæ a Bonifacio iterum impositæ in Aquensi, Arelatensi, Lugdunensi, Viennensi, Tarentasiensi, Bisuntina et Ebredunensi provinciis; cf. *Reg. Ben. XI*, 181).

(1) *Reg. Ben. XI*, 181 (13 januarii 1304) et 534. Sane in rationibus a Circulis 1° sept. 1306 redditis (*Reg. Clem. V*, 2271) legitur eos pro tertio anno decimæ, ab archiepiscopo Ebredunensi 12977 flor., a Massiliensi episcopo. 7297 flor. et 10 Tur. grossos, a preposito Ariensi (Johanne de Chalona, quondam archidiacono Gandensi, in Leodiensi, Cameracensi, Metensi, Tullensi et Virdunensi diocesibus collectore, cf. *Reg. Ben. XI*, 181 et 534), 11376 florenos accepisse. — Cf. quietantiam die 15 februarii 1305 Johanni de Chalona concessam (*Reg. Clem. V*, App. I, 350), et instrumentum quo constat die 2 julii 1305 Circulos de 21386 flor. et 3 Tur. quos a Johanne de Chalona receperant 3333 1/3 florenos Clarentinis ac totidem Bardis tradidisse (*ibid.*, 347).

(2) *Reg. Bon. VIII*, 4127.

(3) Cf. in *Reg. Clem. V*, App. I, p. 264, quietantiam collectori in Marchia Anconitana datam; *ibid.*, 265 (8 dec. 1304) Porchetto Spinulæ archiepiscopo Januensi collectori in provincia Januensi; *ibid.* (28 maii 1305) archiepiscopo Turritano collectori in Sardinia et Corsica; *ibid.*, 266 (21 junii 1305) Huberto episcopo Bononiensi, in Ravennati et Mediolanensi provinciis collectori.

(4) *Reg. Clem. V*, 1151, 2271.

(5) Supra ostendimus eos die 24 augusti 1303 ad servitium cameræ receptos fuisse.

randam fuerint electi, qui meminerit, eos argentiarorum regis Siciliæ munere functos esse (1), ac Florentiæ Nigram partem (eam scilicet quæ comiti Valesii faveret) amplexos esse. Tertii vero anni proventus æquis portionibus Bardis, Clarentinis et Circulis fuerunt assignati, mercatoribus scilicet Benedicti XI. Singulæ societates singulos 16571 florenos exinde receperunt (2).

Ex iis quæ jam exposuimus, quasnam partes in administrandis decimis susceperint cameræ mercatores ita intelligi posse manifestum est.

1° Per tres primas sæculi XIII partes, quamdiu decimæ tantummodo ad crucis negotium perceptæ et impensæ fuerunt, pecuniæ contrectandæ sese perraro immiscuerunt argentarii.

2° Ubi contra, a Martini IV tempore, apud pontifices invaluit consuetudo rebus politicis decimas adhibendi, tum argentariorum opera usi fuere, inter quos mox soli electi fuerunt cameræ mercatores.

3° A Bonifacio VIII, cum eæ Terræ Sanctæ decimæ, quæ nulli regi concessæ fuerant, reipsa a cameralibus tributis nullo modo jam differrent, eæ a solis cameræ argentariis administratæ fuerunt.

4° Quod idem de decimis *pro necessitatibus Ecclesiæ* multo verius asseri potest.

5° Immo pontifices nonnunquam, at raro quidem, argentarios suos iis etiam decimis consulere jusserunt, quæ principibus concessæ fuerant.

(1) Cf. quæ supra retulimus, de solutionibus census a Carolo II et Roberto factis. Cf. etiam Peruzzi, *Storia del commercio e dei banchieri di Firenze, Appendice*. In TABULARIO MASSILIENSI B. 1370, fol. 10 v°, 12 v°, 20 v°, exstant documenta historiam Bardorum illustrantia. In instrumento die 27 maii 1302 confecto, Bardi a rege Carolo II *mercatores* et *familiares nostri* dicuntur. Die 30 maii 1302 quietantia Riccardo de Gambatesa, senescalco Provinciæ, concessa fuit de 1400 unciis ex redditibus Provinciæ, quas per Lapum Aldebrandini de societate Bardorum regiis thesaurariis transmiserat. Alius societatis Bardorum socius anno 1302 *receptor et expensor fiscalis Provinciæ* erat. — Cf. Barone, *La Ratio Thesaurariorum della Cancelleria Angioina*, p. 45-49.

(2) *Reg. Clem. V*, 1151, 2271.

IV

De officiis thesaurariorum in provinciis Ecclesiæ mercatoribus cameræ commissis.

Nec summi pontifices tunc solummodo mercatores cameræ adhibebant, si pecunia a remotis partibus repetenda erat, aut in remotas partes transmittenda. Regnante jam Clemente IV, rectores provinciarum Ecclesiæ Romanæ dominio subjectarum proventus et redditus ad cameram per mercatores cameræ destinare consueverant. « *Nuper* » (sic Clemens in litteris 31 julii 1266 Francisco Guidi concessis) « *nobis ad concordiam venientibus cum nonnullis mercatoribus Urbis super quibusdam pecuniarum summis in quibus Romanam ecclesiam et nostram cameram impetebant, tu, fili Francisce, nomine tuo et sociorum tuorum..., te ac dictos socios tuos ad solvendas certis terminis apud cameram nostram prefatas pecunie summas eisdem mercatoribus principaliter obligasti... presentium vobis auctoritate concedimus, ut pecuniam quam a dilecto filio nostro S. tituli Sancti Martini presbytero cardinali... de condempnationibus vel aliis proventibus Marchie Anconitane nostro nomine recepistis vel recipietis deinceps, retinere libere valeatis* [1] ». Ipsi quoque mercatores rectoribus provinciarum Ecclesiæ necessariam pecuniam aut a camera deferebant, aut de proprio ministrabant. Martinus IV, bella in Romaniola exorto, Blanco Mainecti Florentino, in Romaniola thesaurario, militibus stipendia soluturo decem millia librarum Turonensium misit « *per Feum, Gerum et Ademarum, latores presentium, socios mercatorum camere nostre* [2] ». Celestinus V testatur Clarentinos, jubente pontifice, 2000 florenorum auri rectori Marchiæ Anconitanæ persolvisse [3].

Immo, sæculo XIII exeunte, documenta comprobant summos pontifices non quidem semper, sed sæpissime, officium thesaurariæ in diversis regni pontificii provinciis mercatoribus cameræ commisisse. Quod, quamvis integrum thesaurariorum indicem, deficientibus documentis, afferre nequeam, multis tamen exemplis ostendere juvat.

(1) *Reg. Clem. IV*, 788.
(2) *Reg. Vat.* 42, fol. 25 vº (28 oct. 1281).
(3) P. 23949.

De Marchia Anconitana major documentorum copia suppetit. Ea sunt nomina thesaurariorum, quæ colligere potui.

1271-1275. Ruffinus de Stradiliano Placentinus (1), quem jam tum socium Bernardi Scotti fuisse, haud ægre crediderim; nominatur enim in epistola Martini IV inter socios ejusdem Bernardi (2).

1278-1279. Arrigus de Florentia (3).

1279-1280. Roggerius de Florentia (4). An Arrigus et Roggerius de societate Pulicum fuerint, verosimile est, certo tamen non liquet. Rogerii forsan sunt rationes quas edidit Palmieri sub titulo : *Introiti ed esiti di papa Nicola III* (5).

1280-1281. Rambatinus (sive Rambertinus) Piovanelli Florentinus; socius Pulicum et Rimbertinorum (6).

1281-1282 (14 febr.). Philippus Hugonis Spinæ, Marchiæ thesaurarius, communi Firmano de duabus solutionibus quietationem concedit (7).

23 februarii (8) et 2 junii 1282, Rinaldus Campanæ Florentinus ut *Anconitane Marchie pro Romana Ecclesia thesaurarius* occurrit (9). In epistola Martini IV die 11 julii 1282 data (10), « *socius mercatorum camere... ad recolligendum proventus Marchie deputatus* » vocatur. Exorta inter eum et Giffredum rectorem Marchie discordia, papa rectori scripsit « *quatinus tu rector omnes et singulos proventus ex quacumque re vel causa in Marchia obvenerint dicto Rainaldo vel alii in ejus officio deputando integre facias sine diminutione qualibet assignari, et assignata conscribi ; ita quod tam per tuum quam ipsius thesaurarii libros camere nostre de singulis*

(1) Santoni, *Il libro rosso del Comune di Camerino* in *Archivio storico per le Marche e l'Umbria*, II, et Gianandrea, *Carte Diplomatiche Iesine* (Tomo V della *Collezione storica Marchigiana* di Ciavarini), p. 225.

(2) *Reg. Vat.* 42, fol. 36 v°.

(3) Gianandrea, *loc. cit.*, 239-241.

(4) *Ibid.*, 243-245.

(5) Quæ rationes non omnes cameræ apostolicæ introitus et exitus, red solius Marchiæ Anconitanæ complectuntur. Vulgari eloquio conscriptæ sunt, quod mercatorem potius quam officialem cameræ ostendere videtur.

(6) Santoni, *loc. cit.*, et Gianandrea, *loc. cit.*, p. 246. Eum anno 1278 jam in officio fuisse, suspicor; cum eo anno, jussu camerarii apostolici Angeli de Vezzosis, sindici communis Firmani 4000 librarum Ravennatensium tradiderint Maynecto Raynaldi (socio Pulicum et Rimbertinorum, cf. supra, p. 23) et Framberto Piuvanelli de Florentia, mercatoribus papæ (Tabarrini, *Cronache della città di Fermo*, p. 462).

(7) Tabarrini, *op. cit.*, p. 473, et Gianandrea, *op. cit.*, p. 249-250.

(8) Gianandrea, *op. cit.*, p. 251.

(9) Zonghi, *Carte Diplomatiche Fabrianesi* (in Ciavarini, *Collezione Marchigiana*, vol. II), p. 268.

(10) *Reg. Vat.* 42, fol. 32.

receptis et expensis prefate provincie plena et distincta racio reddi possit ». Rinaldus Campanæ socius erat Thomæ Spinati et Hugonis Spinæ [1]; officium non ante 17 junii 1283 deposuit [2].

1284 (11 januarii), rursus Philippus Ugonis Spine de Florentia [3].

1288. Altorutus seu Altovitus Bartholomæi Senensis [4], socius Bonaventuræ Bernardini [5].

1288, die 18 julii, Simon Bonaccursi de societate Clarentum thesaurarius constituitur. Johanni de Columpna rectori mandat Nicolaus IV, ut Symoni « *redditus proventus et jura omnia eidem ecclesie debita, juxta prestiti a te juramenti tenorem studeas integre assignare. Super receptis autem et expensis tu et ipse conscribi libros seu cartularios faciatis, prout fieri consuevit, ut de eis nostre camere per te ac ipsum thesaurarium cum exigetur plena ratio reddi possit* [6] ».

1289. Orlandinus Paganelli Lucanus [7].

1290. Orlandinus Paganelli « *de societate Ricciardorum de Luca* [8] ». Is Orlandus in epistolis pontificis nusquam, quod sciam, occurrit, nisi Martini IV tempore. Tunc temporis socius erat societatis Orlandi et Ubaldi Cardellini [9]. Notandum tamen, arctissima familiaritate conjunctas fuisse tum Cardellinorum, tum Riccardorum societates, ita ut nonnulli mercatores ambarum insimul participes fuerint. Nam Adjutus Rosciompeli et Paganucius Guidicionis, qui una cum Orlandino Paganelli et Ubaldo Cardellini in *Reg. Vat.* 42, fol. 47 v° nominantur, inter socios Riccardorum tum die 13 septembris 1282 [10], tum etiam Nicolai IV tempore occurrunt. Hinc non est quod miremur, et Orlandinum Paganelli, Nicolai IV tempore, socium Riccardorum fuisse.

1294. Idem Orlandinus Paganelli [11].

1296. Nicolaus Giandonati Pistoriensis [12]. Qui num socius Clarentum fuerit, non liquet.

1300. Nicolaus Gualtieri [13] Anconitanus.

(1) Cf. supra, p. 25.
(2) Gianandrea, *op. cit.*, p. 258.
(3) *Ibid.*, 262.
(4) Zonghi, *op. cit.*, p. 281, et Gianandrea, *op. cit.*, p. 284.
(5) Cf. supra, p. 19.
(6) *Reg. Nic. IV*, 7094.
(7) Zonghi, *op. cit.*, p. 285.
(8) Gianandrea, *op. cit.*, p. 298.
(9) *Reg. Vat.* 42, fol. 47 v° (26 apr. 1283); — *ibid.*, fol. 104 v° (8 aug. 1284).
(10) *Ibid.*, fol. 36 v° (cf. supra, p. 24).
(11) Zonghi, *op. cit.*, p. 299, et Santoni, *loc. cit.*
(12) Santoni, *loc. cit.*
(13) *Ibid.*

Ultimis Bonifacii temporibus, Spinos thesaurariorum munere in Marchia et Ducatu Spoletano functos esse, suspicari licet ex eo, quod regnante Clemente V, 23630 florenos auri « *de proventibus Marchie Anconitane et ducatus Spoletani* », se recepisse confessi sunt (1).

Regnante Benedicto XI, Marchiæ sicut et ceterarum Ecclesiæ provinciarum mercatores de societate Circulorum thesaurarii fuerunt (2).

De reliquis Ecclesiæ Romanæ provinciis hæc pauca inveni.

Ut supra dictum est, anno 1281 Blancus Mainecti Florentinus in Romaniola thesaurarius erat; de quo nihil compertum habeo. Anno 1285 in ejus locum successerat Cinus sive Ranuccinus Bonacolti, quem eumdem fuisse ac Cinus Colti, de quo pluries in registris Honorii IV fit mentio, non dubito (3). Is de societate Thomæ Spiliati erat. Theiner nonnulla quietationis instrumenta publici juris fecit, quæ Petrus de Morlenis Guillelmo Duranti, decano Carnotensi, Romaniolæ rectori, concessit, de pecunia a Guillelmo Petro tradita ad stipendiandos milites. Instrumentis conficiendis Ranuccinus Bonacolti affuit ; nonnunquam etiam Rubellatus, Hugonis Spinæ filius, et mercatores quidam Lucani (4).

Nicolao IV summo pontifice, Bonsignore Gregorii Senensis in Patrimonio thesaurarius occurrit (5) ; in Ducatu Spoletano socius quidam Pulicum et Rimbertinorum eodem officio fungebatur. Qui, ut in instrumento quietationis die 18 decembris 1291 a Nicolao camerario apostolico concesso continetur, a die 9 novembris 1290 usque ad diem 12 septembris 1291, 7760 florenos auri, 41 solidos, 4 denarios receperat; de quibus 5149 florenos 28 solidos pro salariis rectoris et judicum aliisque necessariis expensis persolverat; residuum camerarius sex societatibus mercatorum cameræ remisit, pecuniam solvendi causa quam eis camera deberet (6).

Ex rationibus anno 1306 inter cameram et societatem Circulorum habitis, constat Circulos camerario persolvisse « *ratione provinciarum Romane Ecclesie, in quibus fuistis ordinati thesaurarii per predictum predecessorem Benedictum, ultra quam recepistis* » 3533 florenos auri (7). Bardos quoque ac Clarentinos una cum Cir-

(1) *Reg. Clem. V*, 1152.
(2) *Ibid.*, 2271.
(3) *Reg. Hon. IV*, 125, 519, 520.
(4) Theiner, *Codex diplomaticus dominii temporalis*, I, nº 440.
(5) *Ibid.*, nº 491.
(6) *Ibid.*, nº 491 (p. 321).
(7) *Reg. Clem. V*, 2271.

culis thesaurariæ officium exercuisse comprobare videntur duæ Benedicti epistolæ [1], quibus tribus cameræ mercatorum societatibus concedit, ut cum, jubente papa, rectoribus provinciarum mutuo pecuniam exhibuerint, illam de proventibus ipsarum provinciarum recuperent.

Supra quoque ostendimus, anno 1303 Gerio Spinæ de societate Spinorum rectoriam Comitatus Venaysini commissam fuisse.

Thesaurarios provinciarum duos solidos Tur. quotidie salarium recepisse testantur rationes a Palmieri editæ [2].

(1) *Reg. Ben. XI*, 1238, 1243. — In rationibus Bardorum anni 1306 (*Reg. Clem. V*, 1151), commemorantur mutua illa a Bardis rectoribus data (2876 flor. auri).

(2) *Introiti ed esiti di papa Nicola III*, p. 111.

V

De officio thesaurariæ apud Sanctam Sedem mercatoribus commisso.

Nec in provinciis tantum, quæ Ecclesiæ ditioni suberant, sed et apud ipsam pontificiæ administrationis sedem, thesaurariorum quodam munere fungebantur mercatores cameræ. Per eorum manus tum recipiebatur, tum rursus expendebatur quæcumque pecunia ad cameram perveniebat.

Aliquam de hoc lucem præbent codices in Tabulario Vaticano asservati, qui *Introitus et Exitus cameræ*, alter anni quinti Bonifacii VIII, a quarta septimana mensis januarii anni 1299 usque ad totam tertiam septimanam mensis januarii anni 1300 (1) ; alter a mense martio 1302 ad mensem januarium 1303 (2) continent; quos Theiner partim publici juris fecit (3). Hoc primi codicis initium.

Incipiunt recepta camere ipsius per manus mercatorum trium societatum, scilicet Mozorum et Spinorum de Florentia ac Clarentum de Pistorio, agentium in eadem camera officium mercatorum, venerabili viro domino cardinali Theodorico camerario existente.

Idem et alterius codicis exordium, hoc excepto, quod in camerariatu Theodorico cardinali (episcopo Civitatis Papalis) successerat Johannes, electus Spoletanus. Amborum librorum eadem æconomia.

Primum conscriptæ sunt pecuniæ summæ ex diversissimis proventuum generibus ortæ; ut census infeodatorum bonorum, census a monasteriis persoluti ; reditus provinciarum Ecclesiæ ; communia servitia, *pro parte cameræ* tantum (exclusa ergo parte illa quæ ad Sacrum Collegium spectabat), legata Sanctæ Sedi (necnon et Terræ Sanctæ) relicta, decimæ, bullæ proventus.

(1) Arch. Vatic., *Collectoriæ*, nº 446.
(2) *Ibid.*, *Introitus et Exitus*, nº 5.
(3) *Codex diplomaticus dominii temporalis*, nº 537.

Diversæ particulæ inordinate conscribebantur, ut quæque summa ad cameram pervenerat. Nulla hebdomadarum aut mensium distinctio habetur. Interdum notatur, quaenam ex tribus societatibus pecuniam persolverit.

Secunda pars uniuscujusque libri expensa continet, in hebdomadas divisa. Tribus societatibus sua cuique alternis vicibus attributa hebdomada, qua quicquid persolvendum esset, expenderet. Singularum hebdomadarum impensæ quinque capitulis distinguuntur : coquina, panectaria, buticularia, marescalcia, et mandatum. Inter impensas, quæ sub nomine mandati conscribebantur, hæ præsertim animadvertendæ videntur : eleemosinæ, presbyteria Paschæ et Natalis; pecunia thesaurario pretiosa opera conficiendi causa persoluta; domorum, roccarum, murorum ædificationes aut refectiones; expensa cancellariæ ; stipendia castellanis, servientibus, militibus data ; gagia pænitentiariis, magistro theologiæ, officialibus cameræ, notariis et scriptoribus persoluta; vestes domicellis et militibus distributæ; nuntii et cursores ad diversas partes destinati.

Interdum in rationibus legitur, mercatores sibi ipsis pecuniam persolvisse; quod contingebat, si quid de proprio ministravissent, a camera restituendum.

Manifestum igitur, mercatores apud cameram receptorum et expensorum munus gessisse, præsidente camerario et omnia moderante.

Erraret tamen, qui existimaret, omnes Sanctæ Sedis proventus ad cameram pervenisse, et universam pecuniam inde conflatam in thesauro Ecclesiæ fuisse custoditam. Et quidem primum, ut supra ostendimus, pecunia ad Ecclesiam pertinens interdum in ipsa regione, ubi collecta fuisset, apud monasteria deposita custodiebatur, donec de ea papa disposuisset, illo mercatorum adhibito artificio, quod in præsenti Gallico sermone dicitur *chèque* (1) ; ita ut papæ diversi diversis in monasteriis, temporarii quidem, essent thesauri. Interdum quoque pecunia, quæ ad curiam pervenerat, rursus mercatoribus in depositum credebatur, nedum in camera servaretur. Sic in rationibus Bardorum anno 1306 confectis legimus eos 2501 florenos auri cameræ debere, de deposito facto penes eos de mandato Benedicti XI (2).

Id præsertim sæpissime contingebat, ut pecunia a mercatoribus ipsis exacta, vel ab illis, qui eam Ecclesiæ deberent, mercatoribus

(1) Cf. supra.
(2) *Reg. Clem. V*, 1151.

persoluta, apud eos remaneret, donec placuisset papæ, servanda, et ut mandavisset papa expendenda. Hinc intelligendum, quod legitur in epistola Johannis XXI [1], qua Scottos quietat « *de XII^M librarum Turonensium, quas receptas per vos seu aliquos vestrum pro Romana Ecclesia nomine depositi servabatis...* »; — necnon et quod Cœlestinus V die 8 octobris 1294 Philippo IV regi Franciæ scripsit; cum apud regem Riccardos tueretur, inter alia afferens, quod « *non modica summa pecunie ipsius Ecclesie confidenter deposita noscitur apud eos* [2] ». Ex illis etiam, quæ supra [3] de casu nonnullarum societatum diximus, quæ negotia Ecclesiæ gesserant, apparet eas societates debitrices cameræ fuisse. Manifestum ergo, mercatores receptam Ecclesiæ nomine pecuniam plerumque apud se retinuisse.

De ea igitur pecunia, jubente papa vel camerario, si quod persolvendum esset, ministrabant [4]. Quandoque (nullo tamen, ut videtur, certo tempore) mercatores cum camerario rationes componebant; si plus Ecclesiæ nomine recepissent, quam expendissent, residuum cameræ persolvebant vel de residuo obligati remanebant [5]; sin autem expensa receptis majora essent, camera eis obligata remanebat. Rationes ejusmodi, die 1° septembris 1306 a Circulis, Bardis et Spinis cum camera confectas, exstant in Registro Clementis V [6]; de quibus jam pluries habui mentionem. Ex eis apparet, quam immensam pecuniam mercatores tractaverint [7]. Bardi a 24 augusti 1303 ad 1 sept. 1306, receperant tam de decimis quam de censibus aliisque proventibus Ecclesiæ, 112277 florenos auri 1/3; expenderant in mutuis regi Siciliæ aut comiti Andegavensi factis, in nuntiis mittendis, in decimis recolligendis, in expensis papæ ministrandis, 104225 1/6 florenos. Spini a 6 maii 1300 ad 1 sept. 1306, receperant 160312 florenos, expen-

(1) *Reg. Vat.* 38, fol. 23.
(2) Tab. Paris., L. 278, n° 2.
(3) Cf. p. 38 seq.
(4) E. g., quietantiam tantum afferemus a Celestino V Clarentinis concessam de 2000 flor. auri, quos ad mandatum camerarii, Gentili de Sangro, Marchiæ rectori, stipendia militibus persolvendi causa tradiderant, « *de certa quantitate pecunie penes vos seu aliquos ex vobis et societatem vestram Ecclesie Romane nomine deposita seu etiam assignata.* » (P. 23949).
(5) [Cf. Jordan, *La faillite des Buonsignori.*]
(6) 1151, 1152, 2271. [Cf. etiam epistolas Bonsignorum de rationibus tempore Nicolai IV confectis, quas Arias, *Studi e documenti di storia del diritto*, inordinate tamen, et Jordan, *La faillite des Buonsignori*, in *Mélanges Fabre*, publici juris fecere.]
(7) [Clemens VI (*ibid.*) testatur apud Bonsignores, tempore Nicolai IV, « *de pecuniis ad ipsum predecessorem et cameram suam spectantibus* » (necnon, ut opinor, de pecunia decimali) 80000 florenorum auri deposita fuisse.]

derant 156112 flor. et 2 grossos Tur.; Circuli a die 8 nov. 1303, tum receperant, tum expenderant 69676 flor. 8 Tur. grossorum.

Illi, qui eas rationes cum libris « *Introituum et Exituum* » contulerit, manifestum erit, non nisi minimam proventuum apostolicorum partem reipsa ad cameram pervenisse; magnas rursus pecuniæ summas nomine papæ persolutas fuisse, quæ nunquam cameram, ut ita dicam, intraverant. Duplex papæ ærarium; alterum scilicet, proprio nomine *camera* dictum, quo libri, reliquiæ, pretiosæ vestes, gemmæ, argentea aureaque supellex servabantur [1], una cum quadam pecuniæ numeratæ summa, quam saltem ante Clementis V tempora [2], plerumque exiguam fuisse conjicio; alterum autem, quod in pecuniæ summis constabat, quæ apud mercatores cameræ, æquis portionibus divisæ, deponebantur. Hinc depositaria, quæ seculo XV viguit, initium traxit [3].

(1) Cf. Molinier, *Inventaire du Trésor du Saint-Siège sous Boniface VIII*, in *Bibl. de l'Ecole des Charles*, 1882 et seq.; ac in Bibl. Nat. *Lat.* 12580, inventarium thesauri Ecclesiæ anno 1304 confectum; de quo cf. Ehrle, *Schatz, Bibliothek und Archiv der Pæpste im XIV Jahrhundert (Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters*, I, 5) [Cf. Gottlob, *Pæpstliche Darlehensschulden des 13 Jarhunderts*, in *Hist. Jahrb.*, XX, 667-669.]

(2) De immenso thesauro quem Clemens congesserat, cf. Ehrle, *Der Process ueber den Nachlass Clemens' V (Archiv für Literatur*, etc., V).

(3) Gottlob, *Die pæpstlichen Kreuzzugssteuern*, etc., p. 250; et *Aus der Camera Apostolica des XV Jahrhunderts*, p. 110.

VI

De mutuis a mercatoribus cameræ requisitis [1].

Summos pontifices magnas sæpissime pecuniæ summas a suis mercatoribus [2] mutuas sumpsisse, nemo est qui ignoret, et nos multis exemplis ostendimus, eo præsertim capitulo, quo de decimis disseruimus. Decimæ enim pontificibus utilissimæ, eo potissimum quod eis copiam fecerunt immensa mutua contrahendi; nam, decimis indictis, papæ immensi valoris pignus in promptu habebant. Cum igitur jam ea mutua commemoraverimus, quæ ceteris notabiliora videntur, tum propter pecuniæ magnitudinem, tum propter politicos eventus, qui exinde secuti sunt; cum autem, quibus conditionibus aut pactis mutua contracta fuerint, parum constet ; operæ pretium non est, ut longum de mutuis conscribamus capitulum, quæ superius dicta sunt repetendo.

Duo tamen minime prætermittenda videntur.

Primum quidem, ut evidentius intelligatur, quantas pecuniæ summas mutuas acciperent pontifices, apocha commemoranda, quam 8 januarii 1290 Nicolaus IV Berardo quondam apostolicæ sedis camerario concessit [3]. Ex qua apparet, Berardum tempore quo camerariatum gessit, præter 158890 florenos auri et quinque partes unius floreni, ac 373098 libras et 14 den. Tur. parvorum, quos de redditibus Ecclesiæ provenientes expenderat, mutuos sumpsisse de mandato Martini IV a mercatoribus 130850 florenos auri ac 117714 libras 4 sol. et 11 den. Tur. parvorum, ac 21400 marcas sterlingorum.

Attendendum quoque, mercatoribus cameræ non licuisse, ut quæsita mutua, prout voluissent, vel denegarent, vel concederent;

(1) Cf. Gottlob, *Pæpstliche Darlehensschulden...*, qui de multis, quæ ad nostrum propositum minus pertinebant, optime disseruit.
(2) Interdum quoque, licet multo rarius, ab aliis.
(3) *Reg. Nic. IV*, 7244.

immo ex officio quicquid requireretur, præstare debebant (1). Si plures societates insimul mercaturam cameræ gererent, onus ministrandæ pecuniæ inter eas dividebatur. Cum, exempli gratia, socii Bonaventuræ Bernardini, jubente Nicolao III, 400 marcas sterlingorum episcopo Firmano in Hungaria nuntio mutuas dedissent, sese gravatos esse asseruerunt ; petentes (ut Martini IV verbis utar) « *quod dilectus filius Franketus Rumbertini, mercator dicte camere, cum quo insimul ipsius camere in hiis que ad mercatorum spectant officium negotia gerebatis, onus hujusmodi una vobiscum sustineret* (2) ». Quorum petitioni annuit papa. Incumbebat igitur mercatoribus cameræ, ut si opus esset impensas, quæ cameræ imminerent, de proprio facerent. Quod tamen de ordinariis, ut ita dicam, mutuis intelligendum videtur ; si quando majori pecuniæ summa opus esset, ab ea mercatorum societate, cui tunc temporis majores facultates suppeditarent, petebatur.

Aliquando mercatoribus, si pecuniam a papa requisitam in promptu non haberent, æs alienum faciendum: id eis a pontifice injungebatur; aut eis committebatur, ut pecuniam cameræ nomine mutuam sumerent. Anno 1297, Bonifacius VIII Carolo II, regi Siciliæ, bellum adversus Siculos rebelles instruenti 40000 unciarum auri a sociis Clarentinorum in Gallia morantibus persolvi jussit. « *Et si forte* (sic papa Clarentinis) *contigerit quod alique summe pecunie de illis quas... requiri et procurari mandamus sic in promptum haberi non possent, prout requirit armate negotium faciende estate proxima jam assumptum, adiciendo precipimus quod per viam mutui cum interesse solvendo per vos et Romanam ecclesiam et per quascumque alias vias et modos quos investigare et tractare poteritis, sic procuretis et facietis omnino quod dicta solutio regi facienda prefato convenienti et competenti tempore compleatur...* (3) ».

(1) [Errare videtur Schneider, *op. cit.*, 64, contrarium onerens.]
(2) *Reg. Vat.* 42, fol. 29 v° (4 junii 1282).
(3) *Reg. Bon. VIII*, 2317.

———×———

VII

Quænam genere varia officia cameræ mercatoribus mandata fuerint.

Hæc mercatorum cameræ præcipua et ordinaria officia. Adjungendum pontifices eos adhibuisse in omnibus negotiis, in quibus pro peritia, opibus, bono soliditatis nomine, egregiam operam dare poterant. Exempla quædam proferre, haud inutile putavi.

1° Labrus Vulpelli de societate Riccardorum Nicolao IV ex parte regis Angliæ litteras et dona detulit ; per eum quoque papa regi respondit [1].

2° Dinus Johannis de societate Thomæ Spiliati Martini IV curiam frumento ornandam providebat [2]. Thomæ Spiliati a Martino injunctum fuit, ut pedites in Romaniolam mittendos nomine papæ legeret [3].

3° Anno 1303, cum coronandus esset Benedictus XI, vasa aurea pro celebrandis solemnibus e camera apostolica mercatoribus cameræ fuerunt assignata. Legitur in inventario thesauri Ecclesiæ anno 1304 confecto [4] : *In nomine Domini Amen. Die sabbati XXVII octobris. Ista sunt vasa aurea de camera domini pape que receperunt mercatores de societatibus Spinorum, Clarentum et Bardorum a domino Michaele de Encrat pro coronatione domini Benedicti pape XI^mi^* ». Qui mercatores eadem vasa iis qui in coronatione ministraverunt, assignavisse puto. — Adjungendum mercatores cameræ in nonnullis cærimoniis a papa vel cardinalibus peragendis partes quasdam ex officio gessisse ; ut in largitione

(1) P. 23626.

(2) *Reg. Vat.* 42, fol. 68 v°.

(3) *Ibid.*, fol. 35.

(4) Ehrle, *Schatz, Bibliothek und Archiv der Pæpste im XIV Jahrhundert* (*Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des M. A.*, I, 5).

presbyterii, teste Jacobo Gaietano cardinali, in eo quem conscripsit, Ordine Romano (1).

4° Sæpe etiam papa mercatoribus suis scrutandas officialium, collectorum, nuntiorum rationes committebat. Anno 1283, frater Albertus, prior de Gordaniciis, decimæ Lugdunensis in Arelatensi, Aquensi, Viennensi, Ebredunensi, Tarentasiensi et Bisuntina provinciis collector, rationes reddidit « *coram venerabili domino Berardo, domini pape camerario, magistro Bernardo de Carcassona domini pape scriptore, capellano reverendi patris domini Jacobi Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, Nicolao de Luca de societate Riccardorum et quibusdam aliis mercatoribus camere* (2) ». Magistri Gerardi de Mutina, ejusdem decimæ in Hungaria, Polonia et Sclavonia collectoris, rationibus audiendis, interfuere Frankettus Rimbertini, Thura de Senis et Raynaldus Campanæ (3) ; Bertrandi Amalrici, archiepiscopi Arelatensis, in Dacia et Suetia collectoris, rationibus, Thura Bonamici, Maynettus Raynaldi de Pulicibus et Rimbertinis, et Boninus Neri de societate Thomasii Spiliati (4). Magister Uguitio plebanus de Castellione, Aretine diocesis, in Norwegia collector, ut de valore receptarum monetarum apud curiam constare posset misit « *ad curiam Romanam pondus regni Norwegie unius libre in plumbo, sub suo sigillo, quod pondus coram venerabili viro domino Berardo, apostolice sedis camerario, presentibus Rodulio de Pulicum et Rimbertinorum, de Florentia, Manente Tholomei de filiorum Bonsignoris de Sena et Colucio de Riczardorum de Luca societatibus mercatoribus cameræ...... fuit apertum......* ». Nonnullarum quoque Norwegie monetarum assagium factum fuit *per aurifices et mercatores camere* (5).

Bonifacius VIII episcopo Senensi, quondam in Patrimonio rectori, quietantiam concessit « *reddita per te de mandato nostro mercatoribus camere nostre de omnibus introitibus et exitibus*

(1) *Ord. Rom.*, XIV (Mabillon, *Musæum Italicum*, II, 358). « *De largitione presbyterii .. quilibet cardinalis et prelatus tenet mitram apertam ante papam, qui ponit in illam pecuniam quam dat ei in uno scypho argenteo camerarius;... et assistunt ipsi camerario clerici camere et duo mercatores.* » — Cf. *ibid.*, 277, 279. — Eadem fere verba inveniuntur in ordine Romano XIII jussu Gregorii X exarato (Mabillon, *op. cit.*, 229), excepto quod pro *mercatores* legitur : *equitatores*; errore quodam, ut suspicor, sive scribæ, sive typographi.

(2) Fabre, *Les décimes ecclésiastiques dans le royaume d'Arles de 1278 à 1283* (*Annales du Midi*, 1892, p. 371).

(3) *Monumenta Vaticana Hungariæ*, I, 1.

(4) Munch, *Pavelige Nuntiers Regnskabs-og Dagböger*, p. 4.

(5) *Ibid.*, 13-14.

ac receptis et expensis per te habitis atque factis...... plenaria ratione [1] ».

Henricus, præpositus ecclesie Sancti Petri Basiliensis, « *subcollector decime pro Ecclesie Romane oneribus et necessitatibus in Bisuntina et nonnullis aliis civitatibus, diocesibus ac provinciis per triennium dudum primo imposite* [2], ... *Guillermo Lanfredi civi Florentino ad hoc specialiter destinato rationes super eadem decima* » reddidit [3]. Guillelmus Lanfredi socius Bardorum fuisse videtur [4].

Vacante post Benedicti XI obitum apostolica sede, collectores decimæ in Italia in subsidium regni Siciliæ deputatæ presentibus camerario, clericis et mercatoribus cameræ, rationes reddiderunt [5].

5° Instrumentorum quoque, quæ de cameralibus negotiis conficerentur, mercatores cameræ testes erant. Annis 1278 et 1279, Franciscus Lambertini, Thura de Senis, Ricco de Florentia, occurrunt ut testes in instrumentis tum emptionis, tum venditionis, tum commutationis quarumdam vinearum nomine cameræ apostolicæ factarum, « *in sede palatii domini camerarii* [6] ». Anno 1295, Atenulfus et Nicolaus filii quondam Mathiæ de Papa, cives Anagnini, confessi sunt se recepisse a domino Theodorico, papæ camerario, dante et solvente nomine papæ, 866 2/3 florenos « *pro 650 libris provesinorum quas idem dominus Mathias pater eorum dum viveret mutuaverat hominibus castri de Frusinone, ... presentibus Lanfranco Clarenti de Pistorio, Lando Sigoli et Dino Orlandi de Florentia, mercatoribus camere* [7] ».

6° Interdum, si de pecunia litigaretur, cujusnam esset, donec de lite statutum fuisset, pecunia controversa, jubente papa, apud mercatores cameræ deposita custodiebatur. Roberto episcopo Portuensi intestato apud curiam defuncto, Labrus Vulpelli et socii de societate Riccardorum quasdam pecuniæ summas quæ ejusdem fuerant episcopi et apud sese asservabantur, positis cum camerario apostolico rationibus, Francisco Bonamiki, Franketto Rimbertini et Dino Johannis, mercatoribus cameræ, assignaverunt [8]. Die 8 maii 1283, Martinus IV mercatoribus cameræ apocham con-

(1) *Reg. Bon. VIII*, 3192 (27 junii 1299).
(2) Scilicet a Bonifacio VIII die 1° octobris 1298 (*Reg. Bon. VIII*, 2888).
(3) Quas rationes publici juris fecit Kirsch, *Die pæpstlichen Kollektorien in Deuschland wæhrend des XIV Jahrhunderts*, p. 4.
(4) Eum fratrem Gerardi Lanfredi (cf. supra, p. 30) fuisse suspicor.
(5) *Reg. Clem. V*, *App.* I, p. 264-266.
(6) [Davidsohn, *Forschungen zur Geschichte von Florenz*, III, nos 101, 103, 107.]
(7) Muratori, *Antiquitates*, II, 819.
(8) *Reg. Vat.* 42, fol. 19 (13 januarii 1282).

cessit de sex millibus librarum Turonensium, quas ex eisdem bonis pro negotio Romanolæ persolverant. Expresse tamen adjecit papa, se minime intercedere quominus omnes qui sibi in successione episcopi Portuensis jus aliquod competere crederent, jus suum prosequi valerent [(1)].

7° Mercatoribus cameræ summi pontifices ejus etiam pecuniæ administrationem committebant, quæ ad cameram apostolicam minime spectaret.

Gregorius X, cum fratres Minores in Orientem ad prædicandam fidem Christianam destinaret, « *Ferrarium mercatorem de Placentia...... ad providendum ipsis fratribus in necessitatibus* [(2)] » eis adjunxit ; quem Ferrarium e sociis Scottorum fuisse, tunc cameræ inservientium, vehementer suspicor.

Bonifacius VIII, eo forsitan consilio, ut pravas consuetudines emendaret, quæ in exigendis procurationibus legatis apostolicæ sedis debitis invaluerant [(3)], earumque procurationum rationes melius ordinaret, Albanensi et Prænestino episcopis, quos ad pacem inter Franciam et Angliam componendam miserat legatos, præcepit, ut pecuniam quam ratione procurationum exegissent, Clarentinis assignarent, « *pecuniam autem necessariam pro vestris et familiarium vestrorum expensis interim faciendis juxta hujusmodi ordinationem nostram recipiatis a mercatoribus supradictis* [(4)] ».

Bonifacius VIII, anno 1297, Philippo regi Franciæ dimidiam partem concesserat omnium « *que in regno Francie ex tunc a decem*

(1) *Reg. Vat.* 42, fol. 48 et 49 v°.

(2) Campi, *Storia ecclesiastica di Piacenza*, II, 253. — In Delisle, *Opérations financières des Templiers*, p. 140, occurrit quidam Ferrat de Ferrariis de societate Scottorum. — [Ceterum mos invaluisse videtur, ut legati apostolici suos proprios, ut ita dicam, mercatores haberent. Anno 1308 (Davidsohn, *Forschungen zur Geschichte von Florenz*, III, p. 109, n° 551) cardinalis Gentilis de Monteflorum in Hungaria legatus Franciscum Lapi Rocchetti de societate Spinorum « *mercatorem nostrum* » appellat.]

(3) [Hic quoque, nisi fallor, initium est procurationum a sede apostolica exactarum, de quibus disseruerunt vv. cl. Samaran et Mollat, *La Fiscalité pontificale en France au XIV^e siècle*, pp. 34 et seq.]

(4) *Reg. Bon. VIII*, 733. — Cf. *Reg. Bon. VIII*, 2088 epistolam qua papa magistro Giffredo de Vezano mandat ut cum Albanensis et Penestrinus episcopi, postquam procurationes pro tribus annis clero Franciæ et Angliæ imposuerint persolvendas, defuncti sint, « *et adhuc magna quantitas restare noscatur de dictis procurationibus colligenda*, » illam colligat et Lanfranco Anselmi de societate Clarentum assignet. — Cf. etiam quod in *Reg. Clem. V*, 10037, legitur : «... *procurationum legatorum dicte sedis que adhuc restant solvende queve juxta quamdam ordinationem dicti Bonifacii predecessoris nostri ad dictam Ecclesiam pertinent.* » — Bonifacius Clarentinis concessit, ut in solutionem 32000 florenorum auri quos jubente papa regi Aragoniæ persolverant, retinere valerent pecuniam decimarum et procurationum apud eos depositam (*Reg. Bon. VIII*, 3001).

annis citra essent indistincte legata et Terre Sancte relicta subsidio », executoribus mandans, ut collectam pecuniam Muschiatto, Bichio et Nicolutio de Franciscis assignarent, quorum opera Philippus IV in pecuniariis negotiis uti solebat. Cum autem de Bichio « *multa enormia* » papæ relata fuissent, priora mandata revocavit, injunxitque executoribus, Grimerio scilicet de Placentia, Petro de Bellapertica et Johanni Clarisensus, ut collectam pecuniam, a Franciscis repetitam, necnon et colligendam, apud Mozos, Spinos et Clarentinos, mercatores apostolicos, deponerent (1). Eosdem igitur mercatores pecuniam indistincte et Terræ Sanctæ legatam thesaurariis regis Franciæ assignavisse, ostendunt Libri Rationum annorum 1298-1301, quos v. cl. Piton partim publici juris fecit (2).

Regnante Bonifacio VIII, societas Ammannatorum Pistoriensium collapsa fuit, permultis ex curialibus curiæ apostolicæ, qui pecuniam apud eos deposuerant, eisve pecuniam mutuaverant, grave damnum patientibus et de Ammannatis apud papam conquerentibus. Hinc summorum pontificum studia, ut omnia tractarent, « *que ad reformationem status societatis jamdicte ac indempnitatem conquerentium predictorum* » pertinerent. Bonifacius Lantem Agolantis, qui eidem societati præerat, monuit, ut ad curiam, quam secreto reliquerat, rediret, creditoribus satisfacturus (3); cum autem Lantis contumax esset, inhibuit ne debitores Ammannatorum eis debita solverent neve Ammannati bona fraudulenter venderent (4). Benedictus XI iterum Lantem citavit (5); cumque paruisset, pontifex cupiens ut Ammannati « *eo plenius satisfacere creditoribus valeant antedictis, quo liberius ipsis ab eorum fuerit debitoribus satisfactum* », executoribus mandavit, ut Ammannatorum debitores ad satisfactionem compellerent; exactam autem ab eis pecuniam Circulis aut Clarentinis assignarent, « *ut exinde satisfieri possit creditoribus dictorum mercatorum de societate Ammanatorum* (6) ». — Clemens quoque V Ammannatorum negotia componenda procuravit, Scalorum tamen ac Perutiorum, opera usus est (7). Cur mercatores cameræ postposuerit, capitulo XI ostendetur.

(1) *Reg. Bon. VIII*, 2091-2093 (28 oct. 1297).
(2) *Les Lombards en France et à Paris*, p. 179, 184, 185, 195, 196, 211, 212.
(3) *Reg. Vat.* 50, fol. 276 (16 febr. 1302).
(4) *Ibid.*, fol. 275 (29 januarii 1303).
(5) *Reg. Ben. XI*, 1109 (27 nov. 1303), 1151 (16 januarii 1304).
(6) *Ibid.*, 882 (10 martii 1304); cf. 883-887.
(7) *Reg. Clem. V*, 737, 740, 742-745.

———×———

VIII

Quo pacto mercatores a camera conducti fuerint.

Exposuimus, quodnam fuerit mercatorum cameræ officium; ostendimus eos inter familiares papæ et officiales curiæ fuisse, et rerum papæ nomine gerendarum exercuisse monopolium; ordinarias papæ expensas persolvisse; nonnunquam pontificibus pecuniam, urgentibus politicis negotiis, ministravisse. Quibus tamen conditionibus; quibus cautelis, qua mercede promissa, ad cameræ servitium conducti fuerint, nunc exquirendum. Haud facile quidem; cum pactorum inter cameram apostolicam et quamvis mercatorum societatem nullum exstet instrumentum. Hæc pauca tantum colligenda sunt, quæ in ceteris documentis passim inveniuntur.

Hoc primum constat, mercatores adstrictos fuisse ut cameræ apostolicæ bona omnia obligarent; teste Benedicto XI, in epistola die 18 februarii 1304 data [1]. Potestas, capitaneus, anziani et consilium Pistorienses, cum concivem Baldum Raynerii de Floravantis, de societate Clarentum, compellere vellent, ut ad patriam reverteretur, ejus palatia et turres (ut tum mos in Italicis civitatibus) se eversuros minabantur. Papa episcopo Ostiensi, apostolico legato, mandavit, ut cum « *idem Baldus nostris et Ecclesie Romane servitiis jugiter immoretur, sitque nobis et eidem Ecclesie in magnis pecuniarum quantitatibus obligatus, et de multis etiam nobis et eidem Ecclesie teneatur reddere rationem, propter que omnia, etiam si vellet, non posset Baldus predictus a Romana se curia absentare, nos quoque turres, domos et alia bona ipsius, que pro premissis nobis et eidem Ecclesie obligata existunt, confiscare dicte Ecclesie si expedierit intendamus* ». Pistorienses a proposito averteret.

(1) *Reg. Ben. XI*, 378. Cum Pistorienses Baldo terminum usque ad diem 1 maii 1304 præfixissent, papa eis scripsit, ut hujusmodi terminum in interminatum tempus prorogarent; et episcopo Ostiensi injunxit, ut Baldi palatia et domos nomine Ecclesiæ custodiret (*ibid.*, 664).

Ut supra dictum fuit, nonnulli pontifices privilegio pigneraticii creditoris utentes, pecuniam quibusdam mercatoribus debitam ad opus cameræ exegerunt, aut eorumdem mercatorum bona capi et vendi mandaverunt; sive discordia inter cameram et mercatores exorta fuisset, ut inter Urbanum IV et Scalos ; sive mercatorum societates, ut Riccardorum, filiorum Bonsignoris, Mozorum, pecuniam cameræ debentes, collaberentur.

In eadem, quam nuper memoravimus, Benedicti XI epistola, legitur Baldo Raynerii non licere, ut, etiam si vellet, a curia recederet. Necesse nempe erat, ut mercatorum cameræ societas unaquæque unum saltem procuratorem, sive (ut vocabulum XV sæculo usitatum usurpemus) institorem apud curiam perpetuo moraturum deputaret [1].

Jus [2] e contra mercatoribus cameræ competebat, utpote papæ familiaribus [3], ut eis, ubicumque curia resideret, de domo, expensis cameræ, provideretur. Anno 1278, Nicolao III curiam Viterbium transferente, pacta inter Viterbienses et curiam conclusa fuere [4] ; Viterbienses syndicum elegerunt, qui inter alia promitteret « *quod camerario domini pape, vicecancellario, auditori contradictarum, correctori, penitentiariis, bullatoribus, elemosynariis, senescalco, panectariis, bucticulariis et omnibus servientibus albis et nigris, marescalco justitie et aliis marescalcis marescalle equorum suorum, et medico domini pape, ac mercatoribus ipsius domini pape ac illis quibus ipse dominus de camera sua subiret hospitiorum pretia, gratis prefati comunis sumptibus hospitia similiter tribuentur* ». Et in libro *Introituum et Exituum* Bonifacii VIII, anni 1302, legitur, persolutas fuisse « *tribus societatibus* [mercatorum camere] *pro pensione domorum familiarium*

(1) [Multæ tamen, præter mercatores cameræ, societates, procuratores apud curiam negotiorum gerendorum causa habebant. Errare ergo videtur v. cl. Schneider, asserens (*op. cit.*, 61), verba *mercatores qui curiam sequuntur* idem *ac mercatores cameræ* valuisse.]

(2) [Notatione dignum est, Gregorium X, cum Florentiæ moraretur, apud Thomam Spigliati; Matthæum de Acquasparta, legatum in Tusciam a Bonifacio VIII missum, apud Spinos deversatos esse. Dubito tamen, an v. cl. Schneider recte dixerit, mercatores cameræ officio astrictos fuisse, ut papæ aut apostolicis legatis hospitium præberent (*op. cit.*, 62).]

(3) Regnante Innocentio IV, Bonifatium et Orlandum Bonsignores, regnante Alexandro IV, Petrum Scotti, regnante Gregorio X, Opizonem de Fargano, regnante Bonifacio VIII, Simonem Gerardi inter familiares habitos fuisse, supra demonstravimus. Nec dubitandum, quin constanter mercatores cameræ hoc titulo fuerint insigniti. [Errare ergo videtur Schneider, *op. cit.*, 64, qui aliud mercatores cameræ, aliud familiares fuisse, opinatur.]

(4) Theiner, *Codex Diplomaticus dominii temporalis*, I, nº 359.

quas habuerunt in Laterano pro sex mensibus et tribus septimanis 856 libr. 14 s. [1] ».

Mercatoribus quoque, sicut et aliis curiæ officialibus, dabatur victus, tum pro se, tum pro necessariis equis.

Galletti [2] publici juris fecit librum in quo, ut titulum, quem præfert, exscribamus, « *sunt assiszie continentes nomina omnium illorum qui recipiunt prebendas a curia pontificatus domini pape Nycolai III, anno primo mense madii* [i. e. 1278] ». Pluries in eo occurrunt mercatores cameræ « *Primo de coquina recipit... Franciscus Rambertinus* [3] *mercator II* [viandas, i. e. portiones]... *Hic incipit assiszia viandarum panatarie... Mercatores curie II* [viandas]. ... *Hic incipit assiszia viandarum vini botellarie... Mercatores Florentini II ... Hic incipit assiszia continens nomina omnium illorum qui recipiunt prebendas a marescalla ... Mercatores Lambertini I* ».

Et in indice officialium curiæ, annis circa 1305-1307 exarato, a v. cl. Haller edito [4], legitur [5] : « *De mercatoribus camere. Mercatores camere recipit quelibet societas unam vidandam, unam annonam cum feno, et somarium in itinere* ».

Adjungendum, mercatores cameræ presbyteriorum, i. e. munerum quæ pontifex festis diebus curialibus erogare solebat, participes fuisse; teste libro *Introituum et Exituum cameræ* anni 1299, in presbyterio Pasce [6] : « *item III societatibus III malach*[*inos*] », quolibet malachino pro sex denariis Turonensium grossorum computato.

Quam insuper mercedem pro impensa opera mercatores acciperent, non liquet. Cum constet, eos camerario de rebus gestis reddidisse rationem, et si quando recepta pecunia expensam excederet, quod superesset restituisse, patet eos procuratorum, non conductorum more, negotia cameræ gessisse. An singulis annis, præter victum et presbyterium, certum receperint salarium, ex documentis non apparet [7]. Interdum forsan, et præsertim data occasione componendarum cum camera rationum, certa eis pecuniæ summa « *de gratia speciali* » donabatur, aut pars debitorum ;

(1) Tab. Vatic., *Introitus et Exitus*, nº 5, fol. 26 vº.
(2) *Memorie di tre antiche chiese di Rieti*, p. 173.
(3) De Rimbertinis cf. supra. Cur de Bonsignoribus, qui insimul mercaturam cameræ gerebant, nulla fiat mentio, nescio.
(4) *Quellen und Forschungen aus Italienischen Archiven und Bibliotheken*, I, 1.
(5) P. 22.
(6) Arch. Vat., *Coll.* 446, fol. 30 vº.
(7) Hoc excepto quod p. 112 de thesaurariis provinciarum diximus.

quibus cameræ astricti essent, remittebatur (1). Id tamen mihi probabilius esse videtur, eos ex negotiis cameræ nomine tractatis lucrum quoddam percepisse ; immensas pecuniæ summas, quæ apud sese deponerentur, vel in fænore posuisse vel in emendis mercibus adhibuisse (2), emolumento, si quod inde oriretur, sibi ipsis retento; nec pecuniam papæ mutuam dedisse, nisi fænore ducto, caute tamen et occulte, ne sententiis ecclesiasticis contra « *usurariam pravitatem* » latis adversarentur (3) ; si commodata pecunia statuto tempore non esset restituta, *dampna et expensas* exegisse ; mercedem accepisse si pecunia Ecclesiæ transmittenda aut transvehenda esset (4), aut si cambium monetarum esset faciendum (5). Fateor tamen nihil in materia, quam aggressus sum, obscurius esse, quam quæ ad salarium mercatorum pertineant.

Maximam denique utilitatem, ut supra demonstratum est et inferius etiam ostendetur, tum omnibus quidem mercatorum societatibus, tum ante alios omnes mercatoribus cameræ, afferebat apostolica protectio. Reges, ut gratiam papæ captarent, ejus mercatores præ ceteris fovebant. In registris Andegavensium regum in Tabulario Neapolitano asservatis nonnullæ leguntur epistolæ, quibus mercatoribus cameræ conceditur, ut pecuniam ex regno extrahere valeant (6). Anno 1296, rex Carolus II senescalco Provinciæ mandat, ut Mozis et Spinis pannos, merces aliaque bona restitui faciat, quæ ab officialibus regis capta et arrestata fuerant (7).

Forsan quoque mercatoribus cameræ ex apostolica concessione licebat, ut cum in itinere essent constituti, a monasteriis equos

(1) Animadvertendum tamen, nullam hujusmodi donorum aut remissionum mentionem haberi in rationibus Bardorum, Spinorum et Circulorum anni 1306 (*Reg. Clem. V*, 1151, 1152, 2271). — Urbanus IV Petro Scotti et sociis, quondam cameræ mercatoribus, proposuerat se remissurum 4000 libr. Turon. de pecunia quam cameræ deberent (*Reg. Urb. IV*, 144). Hic tamen de transactione potius quam de dono agitur.

(2) Cf. supra, p. 56 [et Arias, *Studi e documenti di storia del diritto*, 147.]

(3) [Cf. Gottlob, *Pæpstliche Darlehensschulden des 13 Jarhunderts*, in *Hist. Jahrbuch*, 1899, 665.]

(4) Gottlob, *Die pæpstlichen Kreuzzugssteuern*, etc., p. 249, et *Reg. Clem. V*, 1151-1152, 2271. — Alfanis, qui anno 1286 4576 libr. 8 sol. Venetianorum parvorum ex Hungaria Romam transvexerant, 373 libr. 17 sol. « *pro laboribus et expensis* » assignatæ fuerunt, i. e. circiter 12 %. Alia vice, pro 53472 lb. 6 sol., 13144 lb. 12 sol. 2 den., i. e. 25 %. Notandum quod hic de pecunia decimali agitur.

(5) Cf. Kirsch, *Die pæpstlichen Kollektorien*, etc., pp. 71, 152. Constat collectores pecuniam expendisse *pro facto cambii monetarum;* et quidem, exempli gratia, anno 1338, in diocesi Tullensi, pro cambio 240 libr. 19 solidorum Tur., 19 solidos Turonensium, id est 0,39 %.

(6) [Davidsohn, *Forschungen zur Geschichte von Florenz*, III, pp. 53 et 58, nos 228 et 254.]

(7) [*Ibid.*, p. 60, nos 264-265.]

aliave necessaria exigere possent. Exstat enim in *Codice Dunensi* (1) protestatio Alardi, procuratoris monasterii de Dunis, contra quosdam (quorum nomina non exprimuntur), qui se asserentes esse summi pontificis mercatores, equos « *pro quibusdam pannis vehendis* » a monasterio petebant. Cum tamen illæ litteræ apostolicæ, quibus niterentur mercatores, protestationi monachorum minime sint insertæ, de iis judicium ferre non valemus. Dubium est, utrum mercatores vero et authentico privilegio uti attentaverint, an indebita fraudulenter extorquere.

Si plures societates insimul mercaturam cameræ exercerent, tum deposita recipienda, tum negotia tractanda aut pecunia mutuanda æqualiter inter eas dividebantur. Nicolaus IV Giffredo, in Anglia nuntio, injunxit, ut collectum censum quinque societatibus Riccardorum, Clarentum, Bonaventuræ Bernardini, Thomæ Spiliati ac Pulicum et Rimbertinorum assignaret, « *inter eos equis portionibus dividendum* (2) ». Bonifacius VIII archiepiscopo Januensi mandavit, ut Mozis, Spinis et Clarentinis pecuniam traderet, illam « *equali portione dividens inter eos* (3) ». Idem cum subsidia pro Ecclesia in Francia collecta, et decimas *pro necessitatibus Romanæ Ecclesiæ* impositas, Spinis assignari mandavisset (4), postmodum (obmurmurantibus forte Mozis et Clarentinis) priores litteras revocavit, eamdemque pecuniam inter tres societates partiri praecepit (5). Plura exempla passim commemoravimus, quibus comprobatur, illam consuetudinem plerumque fuisse servatam (6). Supra quoque ostendimus, regnante Bonifacio VIII, singulas societates sua quamque hebdomada expensa papæ persolvisse (7). Mutua quoque ut patet ex exemplo Bonsignorum et Pulicum ac Rimbertinorum, quod supra retulimus, communiter a societatibus, quæ insimul mercaturam gerebant, concedebantur (8).

(1) *Codex Dunensis*, ed. Kervyn de Lettenhove, p. 129.
(2) *Reg. Nic. IV*, 7015 (28 apr. 1288).
(3) *Reg. Bon. VIII*, 1697 (14 febr. 1297).
(4) P. 24934 et *Reg. Bon.* VIII, 3116, 3220.
(5) *Reg. Vat.* 49, fol. 314 v°, 315
(6) Cf. *Reg. Bon. VIII*, 2319.
(7) Cf. supra, p. 114.
(8) Cf. supra, p. 118.

IX

De mercatoribus Sacri Collegii [1].

Haud ingratum erit nec a nostra materia alienum, si adjicimus, suos Sacro quoque Collegio mercatores ordinarios addictos fuisse. Ut viri docti nuper ostenderunt [2], præter proprios reditus quibus unusquisque cardinalium fruebatur (ut proventus ecclesiarum cardinaliciarum, fructus beneficiorum quæ cardinales in diversis regionibus obtinebant, aut pensiones a quibusdam monasteriis solvendæ), sæculo XIII exeunte, summi pontifices Sacro Collegio dimidiam partem ordinariorum proventuum cameræ apostolicæ concesserant inter cardinales dividendam; id est dimidiam partem censuum, communium servitiorum ac visitationum. Consueverant etiam papæ, cum consecrationem acciperent, collegio magnam pecuniæ summam donare. Accedunt legata, quæ interdum cardinalibus relinquebantur.

Quomodo illa pecunia inter cardinales divideretur, docet Registrum Tabularii Vaticani jam a nobis pluries adhibitum. Codex, cui titulus *Obligationes* 1 A, continet divisiones inter cardinales factas ab anno 1295 ad 12 decembris 1304 [3]. Hoc codicis initium : « *In nomine Domini Amen. Infrascripta est pecunia quæ pervenit ad manus venerabilis patris domini H. episcopi Ostiensis, camerarii collegii dominorum cardinalium, tempore sui camerariatus, divisa inter ipsos cardinales, me Petro de Montechiello, canonico Dolensi, procuratore et officiali collegii existente* ». Prelati vel per se, vel per procuratores, vel per mercatores, ut dimidiam partem servitiorum et visitationum cameræ apostolicæ debitam, sic eam quoque partem dimidiam solvebant, quæ Sacrum Collegium con-

(1) [Cf. Schneider, *op. cit.*, 45-47. et Baumgarten, *Untersuchungen und Urkunden über die Camera collegii cardinalium von 1245 bis 1437*, CLXIV-CLXVI.]
(2) De his cf. Kirsch, *Die Finanzverwaltung des Kardinalcollegiums*, et Fabre, *Le Liber Censuum*, ac [Baumgarten, *op. cit.*].
(3) Cf. supra, p. 49, n. 7.

tingebat. Pecunia ad manus ejus cardinalis, qui camerariatus collegii gerebat officium, perveniebat; qui eam mercatoribus assignabat, inter cardinales dividendam [1]. Exempli gratia, solutio, quæ in libro *Obligationum* 1 A prima occurrit, iis verbis notatur : « *Circa festum Assumptionis beate Virginis* [*1295*] *recepi ab episcopo Spoletano CCL florenos auri, qui distributi sunt inter XXI cardinales per manus mercatorum Clarentinorum; habuit quilibet cardinalis XI florenos auri, IX solidos et VI denarios parvorum Turonensium, et pro familia cujuslibet cardinalis V solidos XI denarios Turonensium* [2] ». Hugo, episcopus Ostiensis, Sacri Collegii camerarius ab anno 1295 usque ad 28 decembris 1297 (quo die defunctus est), divisionem operandi causa Clarentinis utebatur [3]. Robertus, tituli Sanctæ Pudentianæ presbyter cardinalis, qui die 3 januarii 1298 Hugoni successerat [4], primum Spinos, a mense autem septembris 1298, iterum Clarentinos adhibuit.

Iidem Clarentini thesaurariorum Sacri Collegii munere fungebantur, cum pecunia ad Collegium spectans apud eos deposita custodiretur, ipsi expensas pro collegii negotiis faciendas persolverent. Legitur enim in registro *Obligationes* 1 A, fol. 25 : « *Solvit eciam dictus episcopus* (Burglavensis in Dacia) *pro complemento servicii collegii XIV florenos qui restabant, qui depositi fuerunt apud dictos mercatores Clarentinos pro aliquibus expensis collegii jam factis et faciendis* ». Et in eodem registro, fol. 45 v° : « *Pervenerunt ad collegium dominorum cardinalium de fructibus residuis ab expensis subscriptarum provinciarum* [i. e. Patrimonii, Marchiæ, Sabiniæ, et Ducatus Spoletani] *II^{M}IX^{C}III floreni aurei...... De predicta autem totali summa pecunie facta est divisio inter XVII dominos cardinales excepto domino Matheo Rubeo qui de ipsa noluit...... Pars vero dicti domini Mathei Rubei conversa est in solutione debitorum collegii et expensarum factarum pro ipsius collegii negotiis peragendis, et habuerunt eam dicti mercatores Clarentini pro satisfactione hujusmodi debitorum, sicut alibi clare patet, et in libro dictorum mercatorum plenius continetur* ». Quænam expensæ Sacro Collegio incumberent, ex folio 1 v° comperimus : « *Item quia juxta ordinationem felicis recordationis domini Nicholai pape quarti debent in dictis servitiis computari X solidi Turonensium pro floreno et non ultra, solvit dictus archiepiscopus*

(1) Cf. Kirsch, *op. cit.*

(2) Fol. 1. — Cf. Kirsch, *op. cit.*, p. 97.

(3) Animadvertendum tamen, hanc divisionem, semel tantum in anno 1295, Spinis fuisse commissam (fol. 1; Kirsch, p. 97).

(4) Kirsch, *loc. cit.*, p. 44).

Ebredunensis per manus dictorum mercatorum Clarentinorum pro supplemento dictorum Turonensium [scil. 600 librarum Turonensium quas paucis diebus antea persolverat] *LX florenos auri minus XIX Turonen. parvis qui non sunt distributi, sed sunt apud dictos mercatores pro faciendis expensis in citationibus prelatorum et aliis agendis collegii* [1] ». Id ergo mercatoribus Sacri Collegii committebatur, ut, si opus esset, pecuniam Collegio debitam exigerent, tardos aut rebelles prælatos ad solvendum compellerent.

Ut ostendimus, collegium cardinalium eodem modo, quo camera apostolica, mercatoribus usum est. Observandum quoque, Clarentinos ac Spinos, qui a 1295 ad 1304 mercatores Sacri Collegii fuerunt, eodem tempore mercaturam cameræ exercuisse. Anno 1306, ut supra diximus, et infra fusius ostendemus, mercaturam cameræ Clemens V abolevit ; mercaturam Sacri Collegii simul abolitam fuisse, arbitror, cum v. cl. Kirsch teste, Avenionensibus regnantibus papis, divisio pecuniæ inter cardinales per clericos Sacri Collegii facta fuerit [2], nulla interposita mercatorum societate.

(1) Cf. Kirsch, *op. cit.*, p. 110; ubi tamen pro *Nicolai pape quarti* legitur *tertii*.
(2) Kirsch, *op. cit.*, p. 54 [Cf. Baumgarten, *op. cit.*, CLXIV.]

X

De negotiis a mercatoribus cameræ pro privatis personis gestis.

Non tamen cameræ apostolicæ tantum aut collegii cardinalium, sed etiam quampluriurn privatarum personarum negotia mercatores cameræ gerebant. Id memoria teneat, quivis judicare velit quantam industriam exercerent, quantis opibus et facultatibus pollerent magnæ illæ, quas supra memoravimus, mercatorum societates. Ad curiam apostolicam undique homines, undique pecunia confluebant ; hinc pecuniarii contractus permulti, quibus mercatores cameræ se immiscebant, contendentibus quidem et æmulantibus aliis mercatoribus; cameræ autem mercatoribus plurimum utilitatis ex officio, quo fungebantur, percipientibus.

Duo negotiorum genera plerumque tractanda erant.

1° Mercatores, ut cameræ apostolicæ, sic privatarum quoque personarum ac præsertim prælatorum, clericorum aut curialium pecuniam vel in depositum recipiebant, vel transmittebant, vel recuperabant. Radulphus episcopus Albanensis mille uncias auri subsidio Terræ Sanctæ legaverat, quas, apud socios Bonaventuræ Bernardini depositas, archiepiscopo Tyrensi et episcopo Anteradensi assignari jussit Gregorius X [1].

Mercatorum quoque opera utebantur ii, quibus pecunia, non cameræ apostolicæ, sed personis apud curiam morantibus, solvenda erat. Sic Egidius archiepiscopus Tyrensis, centesimæ, regnante Ludovico IX, in Francia ad opus Terræ Sanctæ deputatæ collector, Francisco de Senis, scilicet Francisco Guidi, mandavit ut apud curiam centum libras Turonensium Matthæo, clerico comitissæ Blesensis, ac Thomæ Talperii persolveret [2]. Et in epistola Bonifacii VIII ad episcopum Wintoniensem legitur : « *Exposuerunt nobis dilecti filii Symon Gerardi et alii de societate Spinorum de Florentia in Romana Curia constituti, nostre camere merca-*

(1) *Reg. Greg. X*, 363-364.
(2) Arch. Nat., J. 456, n° 23^{13}.

tores, quod te pridem apud sedem apostolicam existente, procuratores tui moram in partibus Anglie contrahentes sociis mercatorum ipsorum in partibus ipsis morantibus duo millia marcharum sterlingorum nomine tuo deponere curaverunt, tibi apud sedem predictam per eorum socios integre assignanda, recipientes de hoc speciales litteras ab eisdem (1) ».

Eduardus I rex Angliæ, annuum feodum, quod Berardo de Neapoli notario papæ solvebat, Riccardo Guiditionis et sociis (de societate Riccardorum ut testatur *Reg. Nic. IV* 6668) assignari mandabat, illud Berardo apud curiam refusuris (2). Idem fiebat de annuo feodo ab eodem rege Matthæo Sanctæ Mariæ in Porticu diacono cardinali soluto, quod anno 1283 Pulicibus et Rimbertinis commendatum fuit (3). — Anno 1284, feoda Matthæi Sanctæ Mariæ in Porticu et Jacobi Sanctæ Mariæ in Cosmedin cardinalium, necnon et magistri Angeli papæ notarii, Baruncino Gualteri de societate Riccardorum *liberata* fuere (4). — Abbates quoque aut episcopi procuratoribus, si quos ad curiam Romanam pro expediendis negotiis destinavissent, interdum pecuniam, interposito mercatorum ministerio, transmittebant. « *Avemmo* (sic Consilius de Circulis aliique de societate Circulorum sociis suis in Anglia morantibus) *una lettera che ne mandaste per lo procuratore dell' abate e convento di nostra dama de Verucchi; ove ne scriveste che gli facessimo pagare a la corte del papa cento lire di sterlini per altrettanti che ne riceveste costa; onde avemglile fatti bene pagare* (5) ».

Ex eadem etiam epistola colligi potest, abbates aut prælatos interdum mercatoribus tanquam procuratoribus usos fuisse, quibus ecclesiastica quoque negotia committerent, ne legitimum procuratorem magno sumptu mitterent. « *Della bisogna che que' di Chirchistede* (6) *vogliono che si procacci per loro in corte del papa, di chi ci mandaste lettere papali e uno trascritto di quello che voleano, onde di ciò avemo ragionato con alcuno ch' è uso in corte, hanne detto che quello fatto non si potrebbe fare sanza ligittimo procuratore dell' abate e del convento. Tuttavia ancora ne sapremo d'altrui ciò che sapere ne potremo che fare si ne possa,*

(1) *Reg. Bon. VIII*, 3243 (8 sept. 1299).
(2) 24 apr. 1280; Rymer, *Fædera*, ed. 1727, II, 148.
(3) 2 sept. 1283; *ibid.*, 257.
(4) 22 oct. 1284 (*ibid.*, 289).
(5) Emiliani-Giudici, *Storia politica dei municipi italiani*, IV, 233.
(6) Chichester.

e forse manderemo le dette lettere infino alla corte se più certi ne dovessimo essere. Ma come voi sapete, noi non v'avemo compagno neuno...... E quando vi vegnino a mano cotali cose, sappiatele prendere o lasciare in modo che sia onore e utilitade di noi e di cui prendete a fare il servigio (1) ».

Exemplis, quæ supra retulimus, satis patet, non solis mercatoribus cameræ transmittendæ ad curiam pecuniæ vel gerendorum apud curiam negotiorum curam a prælatis, abbatibus privatisve personis commissam fuisse. Cum autem societates quæ pro tempore mercaturam cameræ exercerent, ex officio socios quosdam apud curiam haberent, suspicari licet illos, quorum interesset, cameræ præsertim mercatorum operam adhibuisse.

Imprimis autem neminem fugit, summos pontifices quam plurimis curialibus, eo pacto, quod residere minime cogerentur, beneficia in diversis Europæ partibus contulisse; qui beneficiorum redditus per mercatores exigere solebant. Optimum exemplum præbet instrumentorum collectio in duobus Bibliothecæ Parisiensis codicibus asservata (2).

Innocens IV Hugoni Rubeo nepoti concesserat ecclesiam de Ecclesfield, Eboracensis diocesis, in qua monasterium Sancti Wandregisili, Rothomagensis diocesis, jus patronatus obtinebat (3). Die 15 augusti 1246 Hugo Rubeus magistrum Martinum de Parma, papæ capellanum, et Johannem presbyterum procuratores constituit, qui dictam ecclesiam monachis Sancti Wandregisili locarent (4); annuus census, de quo inter partes conventum, 205 marce sterlingorum (5); quas Hugo Rubeus deinceps singulis annis per procuratores exegit. Hæc procuratorum, quæ reperimus, nomina.

Anno 1247, Orlandus Bonsignoris, Bramanzonus Bonincontri, et Nicolaus Ardingii, Bonifacii Bonsignoris nepos (6).

Anno 1250, Philippus Radulphi Florentinus (7), quem socium Maynetti, Jacobi et Francisci Rimbertini fuisse comprobat P. 17425.

(1) *Ibid.*, 236; cf. 240.

(2) *Lat.* 17133, et *Nouv. Acq. Lat.* 1657.

(3) Bulla Innocentii, avulsa data, in ms. *Lat.* 17133, nº 4, exstat.

(4) *Ibid.*, nº 5. Interdum hujusmodi locationes apud curiam, mercatoribus officio procuratorum fungentibus, concedebantur. Anno 1252, abbas Sanctæ Mariæ Eboracensis Raynerium Berindotis, Florentinum mercatorem, procuratorem constituit, qui reciperet ad firmam, nomine monasterii, ecclesiam de Hugate, Eboracensis diocesis, cujus rector erat Albertus Archilis, nepos Innocentii IV (*Reg. Alex. IV*, 1139).

(5) *Ibid.*, nº 7. — Qui census postea in 170 marcas imminutus fuit (*ibid.*, nº 24).

(6) *Ibid.*, nºs 7 et 8.

(7) *Ibid.*, nº 10 (cf. *Nouv. Acq. Lat.*, 1657, nº 7).

Anno 1251, Philippus Radulphi et Girardinus Campani [1].

Anno 1252, Girardinus Campani et Raynaldus Uberti Florentinus [2], qui et ille de societate Rimbertinorum [3].

Anno 1254, Rainaldus Uberti [4].

Anno 1255, Rainaldus Uberti [5].

Anno 1256, Cancius Simonecti et Rainaldus Florentii [6], de societate Rimbertinorum [7].

Anno 1258, Bocca Ammannati de societate Rimbertinorum [8].

Anno 1260, abbas Sancti Wandregisili, cum nullus Hugonis Rubei procurator appareret, censum apud monasterium Sanctæ Genovefæ deposuit [9].

Anno 1267, Hugo Rubeus, cui 300 marcæ sterlingorum, ex sententia a cardinali tituli Sancti Marci lata, debebantur, procuratores constituit magistrum Martinum de Parma, papæ scriptorem, et Guidonem Toscum, Gerardum Modici, Petrum de Tyberii et Nicolaum de Floribus [10], mercatores Parmenses de societate Petri Magni, et Antonini Busolii [11].

Annis 1270, 1271, 1274, 1275, iidem mercatores Parmenses de societate Toschorum procuratores constituuntur, una cum Hugone de Sancto Ruffino, canonico Sanctæ Nutricis Remensis [12].

Anno 1276, Bonvicinus Nicholai Florentinus [13].

Anno 1280, Pepus Bonapersæ [14] de Pulicum et Rimbertinorum societate.

Anno 1287, Cantus Gerardi [15], ejusdem societatis.

Anno 1288, Idem Cantus Gerardi, una cum sociis Rogerio Uberti, Berto Guelfi et Loffo Bonaguide [16].

Quibus documentis constat, Hugonem Rubeum plerumque recuperandæ pecuniæ curam mercatoribus commisisse ; eumque,

(1) *Ibid.*, 11 et 12.
(2) *Ibid.*, 13.
(3) *Reg. Vat.* 27, fol. 44.
(4) *Ms. Lat.* 17133, nº 15.
(5) *Ibid.*, 16.
(6) *Ibid.*, 17.
(7) *Reg. Vat.* 27, fol. 44; qui sibi Boccam Ammannati et Bonsignorem Raynerii subrogaverunt.
(8) *Ms. Lat.* 17133, nº 19.
(9) *Ibid.*, 20.
(10) *Nouv. Acq. Lat.* 1657, nº 10.
(11) *Ms. Lat.* 17133, nº 22.
(12) *Ibid.*, 23, 25, 26, 27.
(13) *Ibid.*, 28.
(14) *Ibid.*, 29.
(15) *Ibid.*, 30.
(16) *Ibid.*, 31.

exceptis annis 1270-1275, quibus Parmensibus usus est mercatoribus (nec mirum, cum et ipse Parmensis esset !) Rimbertinos adhibuisse, mercatores scilicet, qui secunda sæculi XIII parte aut cameræ instituerunt servitio, aut saltem cum mercatoribus cameræ familiaritate et consuetudine conjuncti fuerunt. Hoc casu tantum contigisse, nemo est qui credere velit; nec dubium, quin permulti curiales similia negotia mercatoribus, ac præsertim cameræ mercatoribus, tractanda commiserint (1).

2° Consueverant etiam mercatores, ut clericis, tum in diversis mundi partibus, tum præsertim apud curiam Romanam, pecuniam mutuam darent (2). Sæpissime enim episcopis aut abbatibus, bonis ecclesiarum et monasteriorum aut profligatis, aut deficientibus, debita apud mercatores erant contrahenda, usurariis nonnunquam intervenientibus pactis. Nostri muneris non est, ut quicquid ad hujusmodi negotia pertineat, exponamus. Ea tantummodo commemorare satis erit, quæ maxime necessaria judicaverimus.

De mercatorum negotiationibus et usuris testimonium perhibet Matthæus Parisiensis (3) : « *Nunc domini papæ mercatores vel scambiatores, obmurmurantibus Judæis, palam Londoniis fenerantur, viris ecclesiasticis et maxime religiosis diversa machinantur gravamina, cogentes quos gravat egestas mentiri et signa sua scriptis mendacibus appendere... verbi gratia, mutuo accipio 100 marcas per annum pro 100 libris; cogor conficere scriptum et signare, in quo confiteor me 100 libras mutuo in fine anni solvendas recepisse. Et si forte sortem pecuniæ tibi infra mensem vel dies pauciores adquisitam usurario papali solvere volueris, non recipiet, nisi integraliter centum libras illi volueris; quæ conditio gravior est quam Judæorum; quia quandocumque sortem Judæo attuleris, recipiet benigne, cum tanto lucro quod tempori tanto se commensurat* ».

(1) [Nonnumquam de redditibus beneficiorum lites inter clericos et mercatores oriebantur. Anno 1301, conquerente Paulo de Comite, capellano apostolico, Bonifacius VIII quosdam mercatores Pistorienses citari jussit, qui « *non modicas pecuniæ summas, que provenerunt ad eos de fructibus prebendarum ipsius capellani, quas in Carnotensi, Baiocensi, Belvacensi et Ambianensi ecclesiis obtinet, indebite* » detinerent ; inter quos personaliter Lapum Baronis, « *qui, cum esset procurator constitutus a capellano predicto ad procurandum fructus et negotia prebendarum hujusmodi, in administratione fructuum eorumdem infideliter se dicitur habuisse.* » *Reg. Bon VIII*, 4187.]

(2) [Cf. quæ Schneider, *Die finanziellen Beziehungen der florentinischen Bankiers zur Kirche*, 48 et seq. Gottlob, *Kuriale Prælatenanleihen im 13 Jahrhundert*, in *Vierteljahrschrift für Social-und Wirtschaftsgeschichte*, I, ac Schulte, *Geschichte des mittelalterlichen Handels u. Verkehrs zwischen Westdeutschland u. Italien*, I, 230 et seq. disseruerunt.]

(3) Ed. Luard, V, 404.

Quanta debitorum mole ditissima monasteria interdum obruerentur, exemplo Cluniacensis monasterii cernere licet, quod anno 1291 soli Bonaventuræ Bernardini societati 40800 libras Turonensium debebat [1]. Permultos clericos aut prælatos ære alieno oppressos fuisse docent pæne immuneræ pontificum epistolæ, quibus injungitur executoribus, ut renitentes debitores moneant et compellant, ut mercatoribus pecuniam mutuo quæsitam restituant [2]. Nihil enim antiquius habebant pontifices, quam ut mercatoribus in recuperandis debitis faverent, eosque contra regum exactiones defenderent. Merito quidem, nam tum cameræ apostolicæ, tum Sanctæ Sedi, plurimum utilitatis afferebant mercatores; summorum igitur pontificum multum intererat, ut mercatura floreret. Non enim illæ solum ecclesiæ, illa monasteria in æs alienum incidebant, quorum episcopus aut abbas res male gesserat, bona profuderat ; sæpius debita contrahenda, ut decimæ, servitia [3], census, procurationes [4], ceteraque tributa a pontificibus aut apostolicis nuntiis imposita, solverentur ; ex quibus mutuis magnam commoditatem percipiebat camera, cum adhibito mercatorum ministerio, statim pecuniam reciperet, quam aliter diu frustra exspectasset.

Nec ecclesiis et monasteriis quidquam magis sumptui onerique erat, quam ut pro expediendis negotiis, exponendis litibus, electionibus confirmandis, procuratores ad curiam Romanam sæpe destinarent apud curiam diutius moraturos ; quibus, expenso viatico, necesse erat ut a mercatoribus, qui curiam sequebantur, pecuniam mutuo quærerent [5]. Curialium quoque quamplurimi, cum apud sedem apostolicam non nisi magnis sumptibus vive-

(1) *Reg. Nic. IV*, 5758.

(2) Ex hujusmodi epistolis, unam tantummodo pro generalitate sua commemorabimus. Anno 1263 Urbanus IV encyclica quadam epistola diversis executoribus scripsit, ut archiepiscopos, episcopos, prælatos ceterosque clericos aut laicos Cantuariensis, Bituricensis, Rothomagensis, Arelatensis, Terraconensis, Aquilegiensis, et Lugdunensis provinciarum compellerent, ut societati Bonaventuræ Bernardini de debitis satisfacerent (*Reg. Vat.* 27, fol. 43 v°, 44). — Mos erat ut laici etiam, qui a mercatoribus pecuniam mutuam sumerent, sese pro dijudicandis quæ exinde oriri possent controversiis ecclesiasticis judicibus subjicerent (cf. Fournier, *Les Officialités au Moyen-Age*, p. 81).

(3) Anno 1262, Auxitanus electus 100 marcas sterlingorum, quas cameræ debebat, a sociis Francisci Guidi mutuas sumpsit (*Reg. Vat.* 27, fol. 27 v°). — Cf. etiam *Reg. Clem. IV*, 735, 746, 761, 796, 797.

(4) Cf. Berger, *Saint Louis et Innocent IV*, p. 281.

(5) *Ibid.*, p. 110 et seq.

retur, æs alienum faciebant [1]. Cum igitur plurimum summorum pontificum interesset, ut omnia ecclesiastica politicave negotia apud curiam tractarentur, et curia creberrimo concursu frequentaretur; clericis mutuum quærentibus, ne difficultas aliqua officeret, providebant; nedum canonicarum contra usurarios legum memores, a curia mercatores removerent. Hoc primum a prælato qui mutuum peteret, requirebant creditores, ut suæ ecclesiæ bona pignori daret; quod ei, nisi papa auctore, minime licebat. Licentiam tamen nunquam denegabant summi pontifices, immo parariorum, ut ita dicam, agentes personam, tum clericis concedebant, ut mutuarentur; tum mercatores hortabantur, ut clericis commodarent pecuniam. Sic quamplurima mutua, testantibus ipsis pontificibus, *auctoritate apostolica, auctoritate litterarum nostrarum, ad mandatum nostrum*, contracta. Hinc etiam consuetudo quæ sæculo XIII invaluit, ut « *super mutuis inter patriarchas, archiepiscopos, et episcopos ac inferiores prelatos seu quascumque alias personas ecclesiasticas et mercatores Romane curie auctoritate apostolica contrahendis* [2] », executoriæ litteræ *pro cautela creditorum* a sede apostolica concederentur. Et quidem primum, speciali concessione, requirentibus creditoribus, papa quosdam deputabat executores, qui si opus esset, debitores per censuras ecclesiasticas et excommunicationis etiam sententiam ad restituendam statuto termino pecuniam compellerent [3]. Primus Nicolaus IV executorias litteras de omnibus mutuis apud curiam contractis fieri jussisse videtur; quarum etiam formam constituit et ne in posterum variaretur, inhibuit [4]. In litteris, postquam significaverat qui prelatus a quibus mercatoribus quantam pecuniæ summam quo termino restituendam, papa permittente, obligatis ecclesiæ suæ bonis, et renuntiatione facta « *omnibus litteris*

(1) Cardinales etiam interdum mercatoribus utebantur. Sic Jacobus et Petrus de Columpna, antequam a Bonifacio VIII cardinalatu privarentur, a Clarentinis 3000 et a Spinis 3860 florenos auri mutuo receperant; præfatis autem Jacobo et Petro omnibus ecclesiasticis beneficiis privatis, papa Clarentinis et Spinis « *censuum Sicilie et Anglie regnorum partes, que illos, dum in cardinalatus essent constituti officio contingebant, in satisfactionem debitorum de speciali gratia* » concessit (*Reg. Bon. VIII*, 1940; 30 julii 1297). Idem cardinales, mutuo a Spinis quæsito, jocalia quædam pignori dederant; quæ Bonifacius VIII, debitis persolutis, sibi jussit exhiberi (*Reg. Vat.* 50, fol. 234; 18 dec. 1302).

(2) *Reg. Nic. IV*, 7202.

(3) Cf., e. g., P. 15512, 15872; *Reg. Vat.* 27, fol. 27 v°; cf. etiam in Bibl. Nat. Paris., *Coll. Baluze*, n° 381, epistolam Honorii IV die 11 aug. 1286 datam, de mutuo quem archiepiscopus Arelatensis ab Ammannatis Pistoriensibus acceperat.

(4) *Reg. Nic. IV*, 7202-7203 [Quas litteras in germanicum sermonem versas edidit Schneider, *op. cit.*, 75, deque eis optime disseruit, pp. 56-59.]

et indulgentiis apostolicis impetratis et etiam impetrandis [1], *ac omnis juris canonici et civilis auxilio et conventioni judicum et locorum* », mutuo accepisset, executoribus mandabat papa, ut si de debito non fuisset satisfactum, debitorem vel ejus successores monerent « *ut infra unum mensem post monitionem vestram de dicta pecunia, cum justis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum et interesse, usuris omnino cessantibus* », satisfacerent creditoribus; ac « *eos ad id, non per excommunicationis vel suspensionis sententiam, ne pontificalis officii executio circa spiritualia, que specialius insident cordi nostro, valeat quomodolibet impediri, sed per substractionem fructuum, redituum, proventuum, jurium temporalium et obventionum quorumlibet* » compellerent; alioquin « *tres partes ipsorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium et obventionum in solutionem hujusmodi debiti* » converterent, « *quarta eorum parte ipsi prelato pro suis sumptibus et expensis, ne mendicare cogatur in obprobrium pontificalis dignitatis, reservata* » : quod si prelatus rebellis fuisset, eum a jure patronatus et a collatione beneficiorum suspenderent, et citarent ut infra certum terminum ad curiam personaliter accederet « *a curia ipsa nullatenus recessurus absque expressa et apparenti licentia mercatorum ipsorum, nisi prius fuerit dictis mercatoribus de dicto debito integre satisfactum.* »

Majori etiam usus, et in debitores severitate, et in creditores benevolentia, Bonifacius VIII, tum aliqua debita apud curiam contracta tanquam privilegii quodam munita ceteris debitis esse præferenda decrevit [2]; tum executoribus concessit, ut contumaces debitores excommunicare possent [3] Persæpe executoriæ litteræ in registris Bonifacii VIII [4], Benedicti XI et Clementis V [5] occur-

(1) Cf. *Reg. Bon. VIII*, 3186, ubi papa decernit, privilegium apostolicum episcopo Tholosano concessum juri creditorum minime obstare.

(2) *Reg. Bon. VIII*, 2507 (12 martii 1298) papa abbati Sancti Antonii, Viennensis diocesis, concedit quod non teneatur ad satisfactionem quorumcumque debitorum, olim sine licentia apostolica contractorum, donec satisfecerit de debitis apud curiam de licentia apostolica contractis. — *Ibid.*, 3166 (27 junii 1299), eidem indulget, ut ad solutionem quorumcumque debitorum, illis exceptis quæ a Spinis et Mozis pro negotiis apud curiam expediendis contraxisset, usque ad quinquennium minime compelli possit. — Cf. *ibid.*, 2598, similem concessionem abbati monasterii Montis Majoris factam.

(3) *Reg. Bon. VIII*, 2155, 2157, 2989.

(4) In registris septem primorum annorum Bonifacii VIII 98 executorias litteras repperi.

(5) *Reg. Clem. V*, 1073, 2323, 4486-4489, 5229, 5230, 7366, 8313-8315, 9773, 10329-10331. — Cf. etiam instrumentum mutui anno 1336 apud curiam contracti, quo contrahens consentit « *quod ipse possit et debeat ad solutionem hujus debiti et*

runt; quarum formam (ut eam in *Reg. Ben. XI*, 190, *in extenso* invenies, cum ea forma quam Nicolaus IV servari jusserat, conferre juvabit.

Non solis mercatoribus cameræ in recuperandis mutuis favebant summi pontifices; executoriæ litteræ quibusvis argentariorum societatibus concedebantur. Nemini tamen tantam utilitatem, quantam mercatoribus cameræ, afferebant. Apud ipsos enim, ut supra ostendimus [1], plerique prelati quibus pecunia cameræ persolvenda, mutuum requirebant. Nec dubium, quin papa, camerarius, clerici cameræ, qui prælatis apud curiam constitutis de mutuis contrahendis consilia præbebant, et contracta confirmabant, sæpe tum prælatis suaserint, ut mercatores cameræ potissime adirent, tum mercatoribus mandaverint, ne petita mutua denegarent [2]. In registris septem primorum annorum Bonifacii VIII, 98 reperiuntur executoriæ de mutuis contractis litteræ; ex quibus 16 ad Clarentinos [3], 8 ad Mozos [4] et 25 ad Spinos [5] pertinent. Constat igitur tres societates quæ solæ tum cameræ serviebant, mutua usque ad dimidium totius numeri dedisse; reliqua a multis mercatorum societatibus aut privatis etiam personis concessa fuerunt [6].

Adjiciendum, summos pontifices mercatoribus cameræ præ ceteris contra debitores auxilium dedisse. Anno 1296, Spini, Mozi et Clarentini, mercatores cameræ, papæ exposuerunt « *quod...... clericis et ecclesiasticis personis in Alamanie, Francie, Yspanie, Anglie, Scotie, Aragonie et Navarre regnis, necnon in Italie et Romanie partibus aliisque civitatibus et provinciis constitutis certas in Romana curia* [7] *apostolica auctoritate mutuarunt pecunie quantitates, certis eis loco et termino persolvendas* »; debitoribus autem satisfacere non curantibus, mercatores non sperabant,

observationem omnium premissorum cogi, compelli, arrestari et carcerari realiter et personaliter per dominos curie, camere domini pape camerarium, auditorem ipsius, vice auditorem, commissarium et locum tenentem, ...» (Berti, *Giornale Storico degli Archivi Toscani*, 1857, p. 184).

(1) Cf. supra, p. 53.

(2) Cf. e. g. *Reg. Clem. IV*, 779 (Franciscus Guidi et socii ejus episcopo Wintoniensi pecuniam mutuo dederant *ad preces predicti predecessoris nostri Urbani*.

(3) 970, 1024, 1069, 2157, 2182, 2634, 2637, 2642, 2927, 2939, 3229, 3301 *bis*, 3308, 3488, 3500, 4109.

(4) 1188, 1907, 2550, 2623, 3002, 3172, 4053, 4055.

(5) 1674, 2400, 2434, 2559, 2560, 2605, 2616, 2617, 2618, 2648, 2656, 2820, 2966, 3004, 3010, 3167, 3483, 3484, 3490, 3501, 3849, 3987, 4045, 4181, 4183.

(6) [Cf. etiam tabellas a Schneider, *Die finanziellen Beziehungen*, 50-53 editas.]

(7) Errat ergo Schneider, *op. cit.*, 58, qui putat, mutua de quibus in Bonifacii litteris agitur extra curiam contracta fuisse.

« *propter ipsorum debitorum diffugia et potentiam in eisdem partibus, satisfactionem debitam posse consequi de premissis* ». Quare Bonifacius Nicolao Sancti Laurentii in Damaso cardinali injunxit, ut executoris ut ita dicam generalis munere functus, debitores ad restitutionem compelleret [1]. Cum autem multæ de predictis mutuis exortæ fuissent causæ, eas Bonifacius extraordinariis judicibus commisit audiendas. Apostolicæ sedis camerario vel Ecclesiæ Romanæ vicecancellario mandavit, ut de causis Italiæ cognoscerent, et testes etiam apud sedem apostolicam vel extra diocesim suam ad deponendum testimonium per censuram ecclesiasticam, non obstantibus contrariis constitutionibus, cogerent. Eodem modo, officialis Avinionensis de causis Franciæ, Castellæ ac Legionis, Aragoniæ et Valentiæ, Cathaloniæ ac Navarræ regnorum et Aquitaniæ partium, apud Avinionensem civitatem decernendis ; et archiepiscopus Mediolanensis de causis Alemanniæ, apud Mediolanum dirimendis, judices constituti [2]. — Anno 1309, Clemens V camerario apostolico et auditori litterarum contradictarum præcepit, admoneretur quivis Clarentinis, quondam mercatoribus cameræ, pecuniam deberet, ut vel de debitis satisfaceret vel apostolico se conspectui præsentaret [3].

Interdum quoque pontfices auctoritatem et preces adhibuere, ut prelati, si quid jure vindicandum contra mercatores cameræ eis competeret, id servata modestia persequerentur. Cum episcopus Wintoniensis apud Sanctam Sedem constitutus esset, procuratores ejus duo millia marcharum sterlingorum sociis de societate Spinorum in Anglia tradiderant, sociorum ministerio qui apud curiam morarentur episcopo assignanda. « *Cumque postmodum* (sic Bonifacius VIII in epistola [4] ad Wintoniensem episcopum) *ad notitiam carissimi in Christo filii nostri E. regis Anglorum illustris hujusmodi depositum pervenisset, idem rex predictam quantitatem pecunie a sociis ipsis per vim et metum qui cadere poterat in constantem fecit auferri, eos propterea carceralibus vinculis mancipando. Tu vero predictam pecuniam a mercatoribus societatis ejusdem Parisius constitutis cum multa instantia repetere niteris, ipsos ad id per gentem seu officiales... regis Francorum illustris cogi multipliciter faciendo* ». Bonifacius itaque, obsequiorum intuitu quæ Romanæ Ecclesiæ Spini impenderant et impendebant,

(1) *Reg. Bon. VIII*, 1296 (15 aug. 1296).
(2) *Ibid.*, 2026 (30 julii 1297).
(3) *Reg. Clem. V*, 3876.
(4) *Reg. Bon. VIII*, 3243 (8 sept. 1299).

episcopum hortatus est ut « *ipsos, etiamsi de rigore juris pecuniam ab eis repetere valeas supradictam, occasione hujusmodi non molestes ad presens neque facias molestari, donec super hoc aliter duxerimus providendum* (1) ».

Nonnullos etiam pontifices apud reges aut principes precibus institisse, ut mercatores cameræ commendatos haberent, captos liberarent, a tributis immunes servarent, jam docuimus.

Commemoranda quoque privilegia, quibus mercatorum suorum conscientiæ papæ providebant. Nicolaus IV Clarentinis ad quos « *multa de bonis ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum secularium et regularium... per usuras et alias per contractus pravos et illicitos* » pervenerant, concessit, ut postquam mille uncias auri « *in reparatione parietum ecclesie Sancte Marie Majoris de Urbe* » convertissent, residuum licite retinere possent (2). Bonifacius VIII indulsit Baldo Raynerii de Floravantis de societate Clarentum, qui a monasteriis et ecclesiis magnas pecuniæ summas *per usurariam pravitatem* extorserat, ut cum nescius esset cuinam restituendæ forent, de eis ecclesiam in Pistorio exstrueret (3). Clemens V heredibus defuncti Petri Bennease, olim mercatoris cameræ, 3500 florenos auri illicitis modis acquisitos dimisit libere retinendos (4). Nec me latet, aliquando talia privilegia aliis mercatoribus fuisse concessa (5) ; majore tamen indulgentia in suos mercatores usos esse summos pontifices, nemo est qui dubitet.

(1) Nonnunquam, e contrario, summi pontifices, si prælatis quibusdam faverent, ea qua pollebant auctoritate apud mercatores cameræ instabant, ut cum debitoribus mitius agerent. Tempore Urbani IV, abbas monasterii Sancti Johannis Angeliacensis Francisco Guidi nomine cameræ apostolicæ, mille, ac collegio cardinalium sexcentas libras Turonensium se promiserat soluturum; die præterita, Clemens IV episcopo Xanctonensi injunxit, ut conventum ad solutionem compelleret (*Reg. Clem. IV*, 746; 23 julii 1265). Cum autem abbas, anno sequente, occupato a Carolo Andegavensi Siciliæ regno, egregiam operam in reformanda Sicula ecclesia dedisset et non semel de Sancta Sede optime meritus esset (P. 19674), papa eum de debito securum esse voluit. « *Faciemus* (ita Clemens in P. 19729) *ergo Franciscum quiescere, et datum tibi solutionis terminum prorogare. Quod si non faceret, debitum persolvemus, et idcirco non timeas juramentum.* »

(2) *Reg. Nic. IV*, 6926.

(3) *Reg. Bon. VIII*, 3779. — Cf. etiam privilegium a Bonifacio VIII Franciscis concessum (*Reg. Bon. VIII*, 1661).

(4) *Reg. Clem. V*, 4362.

(5) Interdum papæ canonicæ legis memores, severius cum usurariis agebant (e. g. cf. P. 24618).

XI

De immutationibus a Clemente V institutis.

Ad diem 1 septembris anni 1306 res perstiterunt ea ratione, de qua jam disseruimus, temperatæ et institutæ. Quo die, ut supra diximus, camerarius Clementis V cum mercatoribus, qui tunc cameræ serviebant, rationes composuit. Hinc usque ad Johannis XXII ad sedem apostolicam assumptionem in regestis pontificalibus cameræ mercatorum mentio nulla occurrit. Ea quæ mercatoribus prædecessores commiserant, eadem Clemens clericis cameræ aut capellanis apostolicis tractanda credidit.

Ut ex apostolicis, quas supra memoravimus, litteris colligitur, summi pontifices, secunda saltem sæculi XIII parte, perpetuos in Anglia habuerant nuntios, qui pecuniam cameræ debitam colligerent, collectam mercatoribus cameræ traderent. Clemens quoque collectores in Angliam destinavit; nunquam vero in transmittenda pecunia se immiscent mercatores.

Die 8 julii 1307, Clemens Guillelmo Testæ, archidiacono Aranensi in ecclesia Convenarum, et Amanevo de Lebreto, quietantiam concessit de 4000 marcarum sterlingorum, quas in Anglia collectas Arnaldo Darinha assignaverant. Arnaldus eas in Franciam detulerat et Parisius in 18000 florenos auri commutaverat, quos cameræ persolvit (1). Guillelmus Testæ per plures annos in Anglia moratus est, tum solus tum adjunctis collegis Garsia Arnaldi de Galens, canonico Auxitano et papæ capellano, ac Johanne de Lescapon, clerico cameræ (2). Johanni die 25 decembris 1309 papa concessit, ut receptam pecuniam vel apud fidedignas personas deponeret, vel ad cameram, « *ipsius cameræ periculo* »,

(1) *Reg. Clem. V*, 2265.

(2) De Johanne de Lescapon, cf. Ehrle, *Process ueber den Nachlass Clemens' V*, in *Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des M. A.*, V, 63, 81, 82 (ubi nominatur magister Johannes de Lescapon, *qui reputabatur secundus thesaurarius*).

mitteret [1]. Die 7 januarii 1311, Clemens Guillelmo Testæ permisit, ut si opus esset pecuniam de loco ad locum, cameræ periculo, transferre valeret [2]. Pecunia igitur apud collectorem custodiebatur, nedum mercatoribus servanda traderetur; et singulis annis per speciales nuntios ad cameram mittebatur. Hoc munus, anno 1309 [3], magistro Petro de Labatut, canonico Sanctæ Mariæ Majoris Pictavensis, Bertrando Calculi civi Burdigalensi, et Galhardo de Pinsaco, familiari suo, commisit; anno 1310 [4], Galhardo de Pinsaco; anno 1311 [5], Galhardo de Pinsaco et Guillelmo de Prato canonico Convenarum. Die 27 maii 1312 [6], quietantiam generalem Galhardo de Pinsaco concessit, qui cameræ nomine « *nonnullas pecuniarum summas in certis partibus a diversis personis pluribus vicibus* » receperat.

Alia etiam in aliis regionibus obvia sunt exempla. Die 28 februarii 1310 [7], papa Prædicatoribus Tholosanis injunxit, ut 7000 librarum Turonensium parvorum Raymundo de Labasta, canonico Sancti Severini Burdigalensis, Johanni de Casalibus, canonico Sancti Hilarii Pictavensis, et Guillelmo Raymundi Dulcis, archipresbytero de Samatano, Tholosanæ diocesis, assignarent. Eidem Guillelmo vel Arnaldo Guillelmi de Leuca rectori ecclesiæ de Levinhaco, Agennensis diocesis, anno 1313 papa commisit, ut 900 marcas sterlingorum per magistrum Johannem de Lescapon apud Predicatores Burdigalenses depositas, reciperet [8].

Constat igitur Clementem mercatorum loco, quorum sociis, in omnibus Europæ partibus morantibus, pecunia ad opus cameræ assignabatur, mercatorum ipsorum periculo transvehenda aut per litteram cambii transmittenda, nuntios adhibuisse speciales, qui vitam pæne in itineribus consumebant, et pecuniam apud uniuscujusque regionis collectorem custoditam aut in monasteriis depositam recuperarent et ad curiam expensis cameræ deferrent. Qui nuntii, dum in itinere essent, sedis apostolicæ ac beati Petri protectione erant muniti; dominis temporalibus injungebat papa, ut eis de securo conductu providerent [9].

(1) *Reg. Clem. V*, 6289. Pecuniam e contra, quæ mercatoribus tradebatur, eorum periculo deferendam fuisse supra docuimus.
(2) *Ibid.*, 7463.
(3) *Ibid.*, 6283-6285.
(4) *Ibid.*, 6301.
(5) *Ibid.*, 7464.
(6) *Ibid.*, 8826.
(7) *Ibid.*, 6279.
(8) *Ibid.*, 9907.
(9) *Ibid.*, 7465.

Interdum etiam Clemens archiepiscoporum et cleri opera utebatur. Imminente Viennensi concilio, archiepiscopo et capitulo Upsalensibus mandavit, ut collectorum denarii beati Petri in Suetia rationes audirent, collectam pecuniam reciperent, et secum, ad concilium venientes, transportarent (1).

Renitentibus quoque aut tardis debitoribus imponuntur, pœnæ modo, onus et expensa transferendæ pecuniæ. Cum episcopus Zamorensis 4000 florenorum auri cameræ debitorum minime persolvisset, Clemens Ovetensi, Lisbonensi et Civitatensi episcopis præcepit, ut eos de proventibus ecclesiæ Zamorensis perciperent, perceptosque ad cameram transmitterent « *per fidelem nuntium, juxta consilium ac periculo et expensis predicti episcopi Zamorensis* (2) ».

Hoc autem præsertim advertendum, tunc invaluisse consuetudinem, ut prelati pecuniam cameræ debitam, vel ipsi, visitatione *ad limina* fungentes, vel per procuratores speciales solverent ; rarius mercatoribus uterentur. Hoc testantur Registra *Solutionum præsulum*, Clementis V tempore conscripta (3).

Eodem modo, in registris *Introituum et Exituum* (4) Clementis V nusquam, ut in registris Bonifacii VIII, cameræ mercatorum nomen reperitur, qui vel proventus nomine cameræ recipiant, vel expensa coquinæ, panectariæ, buticulariæ, marescalciæ aut mandati persolvant (5). — Prædecessores Clementis thesaurariæ officium in Ecclesiæ Romanæ provinciis mercatoribus sæpissime commisisse, supra diximus. Integrum quidem thesaurariorum a Clemente deputatorum catalogum proferre volenti deficerent documenta; non prætermittendus tamen Galhardus de Casa, canonicus Sancti Severini Burdigalensis, qui a papa anno 1309 rector Romaniolæ in spiritualibus constitutus, una cum rectoria thesaurariam exercuit (6). — Bonifacius VIII mercatoribus cameræ mandaverat, ut procurationes legatis apostolicis debitas reciperent, iisque necessariam pecuniam ministrarent; non jam mercatori cuidam, sed

(1) *Ibid.*, 6278.
(2) *Ibid.*, 10341.
(3) *Reg. Clem. V*, App. I.
(4) *Ibid.*
(5) In lite de hereditate Clementis V (Ehrle, *Process*, etc., *loc. cit.*, p. 70), in depositione Johannis de Lescapon nominantur quidam clerici aut scriptores papæ, familiares magistri Raymundi quondam Clementis thesaurarii « *qui eidem magistro Raymundo assistebant et in absentia ipsius magistri Johannis solutiones et assignationes pecuniarum faciebant...* »
(6) *Reg. Clem. V*, 5058-5060.

Guillelmo Testæ, in Anglia collectori, scripsit Clemens, ut de collecta pecunia Arnaldum tituli Sanctæ Priscæ cardinalem, et Arnaldum episcopum Pictavensem, apostolicos legatos, in necessariis instrueret [1].

Collegii quoque cardinalium redditus, ut supra ostendimus, regnantibus Clementis prædecessoribus, a mercatoribus recipiebantur et inter cardinales dividebantur. A Clementis vero temporibus nonnisi clericis collegii usus fuit camerarius Sacri Collegii, mercatoribus exclusis [2].

Ex supradictis manifestum est, Clementem V officium mercatorum cameræ consulto abolevisse, et multa in cameralibus negotiis tractandis immutavisse.

Publico tamen quodam munere fungebantur etiam adhuc nonnulli mercatores. Neminem fugit, episcopos et abbates, cum nominarentur aut confirmarentur, præter *servitia communia* papæ et cardinalibus debita, *servitia consueta pro familiaribus* (alias *servitia minuta* dicta), familiaribus pontificis et cardinalium persolvisse [3]. Dum autem, regnante Clemente, pecunia cameræ debita, nemine interposito, camerario traderetur, servitia minuta Nicolao Philippi de Circulis, mercatori Florentino, persolvebantur, cui commissum erat ut ea inter familiares divideret [4].

Prætera non desiit pontificum aula argentariis locum quæstui exercendo opportunum suppeditare, cum plurima adhuc apud curiam negotia tractanda essent, plurimi clerici mutua a mercatoribus quærerent.

Nec res, ut a Clemente V immutatæ fuerant, diu permanserunt.

Johannes XXII, prædecessorum Clementis, potius quam Clementis, vestigia secutus, mercatoribus in negotiis usus est. Legitur enim in inventario thesauri pontificii anno 1320 confecto : « ... *fuit factum inventarium de vasis tam aureis quam argenteis infrascriptis thesauri sanctissimi in Christo patris et domini Johannis divina providentia pape XXII receptis per dominum Raymundum Lascoutz, canonicum ecclesie Regensis, cambrerium ipsius domini pape, et ponderatis per Richardum Carbol, mercatorem Romanam*

(1) *Ibid.*, 8824.
(2) Cf. Kirsch, *Die Finanzverwaltung des Kardinalcollegiums*, p. 54-55.
(3) Kirsch, *op. cit.*, p. 12 ; Gottlob, *Die Servitientaxe im 13 Jahrhundert.*
(4) Cf. *Reg. Clem. V*, App. I, p. 259-355, *passim*.

curiam sequentem...... [1] ». Cujus societatis præfatus Richardus socius fuerit, nescio; constat tamen, Johannem primum Bardos et Perutios, ac postea Scalos quoque et Azayalos adhibuisse. Anno 1317, Raynaldus de Bardis *mercator curiæ Romanæ* appellatur in libro cui titulus : *Introitus et Exitus cameræ apostolicæ n° 13* [2]. — Die 1° augusti 1317, papa regi Angliæ commendavit mercatores de societatibus Perutiorum et Bardorum, quos, ut ait, « *omnium et singulorum que in regno et terris tue dicioni subjectis nostre debentur camere nostros fiducialiter constituimus receptores* ». Eodem die magistro Rigaudo de Asserio, in Anglia nuncio, injungebat, ut « *quotiescumque de pecunia nostre camere in illis partibus debita mille marcas vel circa aut eciam minorem notabilem quantitatem penes te collectas habebis, eas vel eam* » sociis Perutiorum aut Bardorum assignaret; « *cum tucius videatur pecuniam sicut successive collecta fuerit prefatis tradi sociis, quam penes te in magna quantitate precipue retineri* [3] ». Idem anno 1323 Hugoni de Engolisma, in Anglia [4], et anno 1328 Itherio de Conquoreto, Bertrando Cariti et Raymundo de Quercu, in Scotia [5] nuntiis, injunctum fuit. Die 26 decembris 1332, Azayali Florentini una cum Bardis et Perutiis in Anglia receptores constituti fuerunt [6]. — Anno quoque 1322, frater Fulco de Sestarico, ordinis Prædicatorum, « *ad recipiendum aliqua deposita facta Venetiis nomine Romane Ecclesie per dominum nostrum papam nuncius deputatus...... assignavit camere per manum Pauli Bertaldi mercatoris et socii societatis Scalorum de Florencia 1132 florenos auri et tres partes unius floreni* »; totidem quoque per manus Pachini Tomasii

(1) Ehrle, *Schatz, Bibliothek und Archiv der Pæpste im XIV Jahrhundert*, in *Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des M. A.*, I, p. 9. — Notandum quod in inventario post Clementis V mortem confecto (*ibid.*, p. 8), nullus occurrit mercator.

(2) Kirsch, *Die pæpstlichen Kollektorien*, etc., p. 81. — Lite durante, quæ de hereditate Clementis V regnante Johanne XXII acta fuit, iis verbis deposuit Arnaldus Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis : « *...Item pervenit ad me vasseria argentea deaurata quam dictus dominus Clemens ordinaverat distribui et dari pauperioribus ecclesiis de Urbe. Quam quidem vasseriam vos, pater sanctissime, convertistis et dedistis ad opus ecclesie Lateranensis, et pecuniam inde habitam, quam habebat Raynaldus de societate Bardorum, mandastis tradi domino Petro de Columpna, convertendam in opus ecclesie Lateranensis predicte.* » (Ehrle, *Process über den Nachlass Clemens V*, in *Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des M. A.*, V, 55).

(3) *Reg. Vat.* 109, nos 351 et 352. — Cf. Bliss, *Calendar of entries in the papal registers*, II, 417.

(4) Bliss, *op. cit.*, II, 453. — Cf. *ibid.*, 454, 472, 480, 493, 501-502, quietantias a papa Bardis et Perutiis annis 1324, 1325, 1326, 1329, 1331 concessas.

(5) Bliss, *op. cit.*, II, 494.

(6) Bliss, *op. cit.*, II, 509.

de Perutiis ac totidem per manus Philippi Raynerii de Bardis [1]. Manifestum igitur, cameræ mercaturam, ut sæculo XIII, sic et Johannis XXII tempore, a pluribus societatibus insimul et æquo jure gestam fuisse.

Sæculo XIV, persæpe collectores apostolici pecuniam adhibito mercatorum ministerio, ad cameram mittebant [2], vel, ut illius temporis vocabulis utamur, de collectis pecuniis cameræ reddendis et assignandis cambium cum mercatoribus faciebant. Quamplures in collectorum rationibus vel in libris *Introituum et Exituum* occurrunt societates, quæ *curiam Romanam sequentes* dicuntur [3]. Anno 1360, Laurentius Spinelli et Bancus Damiani Florentini, socii et factores societatis Albertinorum antiquorum, habebant « *per patentes apostolicas litteras a domino nostro papa potestatem recipiendi* [*et*] *recolligendi pecunias eidem domino nostro pape per nonnullos de dictis partibus* [scil. Alemannie] *quocumque modo debitas, et de receptis per eos quitandi* [4] ».

Sæculo demum XV, mos invaluit, ut inter mercatores *cameram apostolicam sequentes* unus eligeretur, qui, nomine *depositarii*, pecuniam ad sedem apostolicam pertinentem custodiret, expensasque pro curia necessarias de pecunia Ecclesiæ persolveret vel si opus esset de suo ministraret. Rursus in singulis regni pontificii provinciis et collectorum regionibus singuli constituti erant depositarii [5].

His paucis contenti, de mercatoribus a summis pontificibus sec. XIV et XV adhibitis amplius non disseremus ; cum id tantummodo nobis propositum sit, ut quodnam fuerit sæculo XIII cameræ mercatorum officium exponeremus, eorumque historiam illustraremus.

Ex hiis quæ superius dicta sunt, patet quantam utilitatem mercatores Sanctæ Sedi præbuerint. Sæculo XIII, eadem pontificibus, quæ et aliis principibus, cura erat. Creverat in infinitum copia negotiorum et causarum quæ ad Ecclesiam Romanam, ut ad omnium principem, ad curiam apostolicam quasi ad totius mundi umbilicum, deferrentur; illuc cuncta vergebant. Hinc major in

(1) Tabul. Vatic., *Introitus et Exitus*, 41, fol. 113; cit. ap. Kirsch, *op. cit.*, p. 382.

(2) [Rarius tamen, ut videtur, in Gallia, cum collectoribus major facultas esset curiam apostolicam, utpote vicinam, adeundi (Samaran et Mollat, *La fiscalité pontificale en France au XIV^e siècle*, p. 150 et seq.), apud quos plura de mercatoribus cameræ sæc. XIV leguntur.]

(3) Cf. Kirsch, *op. cit.*, LXI-LXIII.

(4) *Ibid.*, 387.

(5) De depositaria cf. Gottlob, *Aus der Camera Apostolica des XV Jahrhunderts.*

dies numerus officialium, qui cameræ, cancellariæ, vel audiendis litibus adhiberentur ; major etiam curiæ magnificentia ; majores ergo sumptus, qui cameræ apostolicæ imminerent. Pontificibus ergo necesse fuit, ut rei nummariæ diligentius intenderent. Quam tamen ita ordinare, ne quid deesset, minime potuerunt. Nam ut tributa, quæ ab aliis principibus, sic et ea quæ a papis exacta fuere, in odium omnibus venerunt. Immodicum enim ut ita dicam imperium sapere videbantur, cum nova essent et insolita, cum modo his, modo illis, impari taxatione imponerentur. Adjungendum, id hominibus, qui Medio Aevo vixerunt, proprium fuisse, ut a publicis tributis omnino abhorrerent [1]. Huc accedebat quod percipiendæ pecuniæ ratio male esset constituta ; cum collectores frequenter quidem, variis tamen interpositis intervallis mitterentur; modo per multos annos nihil a debitoribus peteretur; modo uno eodemque tempore multa pecunia summo rigore, ecclesiasticis adhibitis censuris, exigeretur; collectoribus, utpote paucioribus numero, necesse esset ut prælatos commissæ sibi provinciæ subcollectores delegarent, quibus vel minor quam oportuisset diligentia, vel parum apud concives et pares auctoritatis. Hoc unum (et quidem mercatorum cameræ opera) consecuti sunt pontifices, ut percepta pecunia summa cum celeritate et securitate ad curiam transmitteretur. Mercatores quoque, cum, si opus esset, pecuniam mutuam darent, incommodum tollebant, si quod oriretur ex eo quod redditus inordinate, incertis temporibus, perciperentur. Quod præsertim in decimis fuit utilissimum. Nam, ut supra dictum fuit, ex decimis papæ sibi comparabant opes, quibus freti bella gererent aut res majoris momenti aggrederentur. Decimæ autem, quarum collectio plerumque in longum traheretur, parum profecissent, nisi mercatores pecuniam percipiendam in antecessum numeravissent; qui ergo pontificibus ad dominationem haud mediocri adjumento fuere.

(1) Cf. Kirsch, *Die pæpstlichen Kollektorien in Deutschland.*

———×———

ADDENDA

P. 13, 14. Catalogo sociorum Maynetti Rimbertini, adde Raynaldum Florentii (cf. p. 67, 135) et Huguitionem Matze (p. 72).

P. 17, 19. Catalogo Bonsignorum, adde Manentem Tholomæi.

P. 23, 24. Catalogo sociorum Pulicum et Rimbertinorum, adde Gerardinum Campani (cf. p. 135).

P. 24. Catalogo Riccardorum, adde Nicolaum de Luca (p. 120).

P. 24. Catalogo Clarentum, adde Bonavillanum et Gianum Lucheti (p. 30, 100, 101), ac Lanfrancum Clarentis (p. 30).

P. 25. Catalogo Scalorum, adde Paulum Bertaldi (p. 147).

P. 29. Catalogo Spinorum, adde Lapum Chini (p. 49) et Spilliacum de Cocissia, 100, 101.

P. 33. Catalogo Circulorum, adde Nicolaum Philippi (p. 146).

INDEX NOMINUM

B

C

D

E

F

G

I

J

L

N

O

S

T

U

V

INDEX RERUM

———×———

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,
pridie Kal. jun. ann. MDCCCXCVII.

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

OBERTHUR, RENNES—PARIS (1106-09)